15.8.361

~~D~~

15.K.8.

IXCC
P. C. FR
1721

Digitized by Google

VICES AMORIS.

DIALOGUS

De Oratione Animarum, & ad Animas Purgatorij.

Quatuor explicans qæſtiones, I. Utrum Animabus Purgatorij conveniat orare? II. An Animæ Purgatorij orent Deũ [illegible] pro Se? III. Utrum Animæ Purga[illegible]torij orent pro Nobis? IIII. An Viatoribus Conveniat orare ad Animas Purgatorii?

Auctore P. C. F. R. [illegible]

ILLUSTRIS. ET REVEREND.

D.D. LAZARO PALLAVICINO

Thebarum Archiepiſcopo, & apud Reg. Celſit. Magn Etr. Ducis cum poteſt[illegible] Legati de Latere Nuncio Apoſtolico

DICATUS.

FLORENTIÆ. (MDCCXXI.)

Typis Dominici Ambroſii Verdi.

Superiorum permiſſu.

CHA RI TAS



Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

PRÆSUL.

Ex Dono fratri
Josephi M.

OMNES profectò hominum; qui Opus hoc Typis meis luci publicæ exortum intueantur, & à me Tuo inſcribi potiſsimum Nomini, Illuſtriſs. ac Reveren-diſs.

diſs. Præſul, continuò æſtimaturos opinor, illud, vel unicum, vel præcipuum ſaltem in cauſa extitiſſe, ut tanto Nomine Libro huic pretium maximū facerem: quod enim Clariſsimo Præſuli, Sapientiſsimoque ſiſtitur, illud, nonniſi excellens, doctiſsimumque Opus eſſe debet.
Quamquam autem & ab eodem hoc Animum meum non fuiſſe penitùs alienum apertè fatear, tamen quod ei primū in votis fuit, illud eſt, ut tot tantiſque Tuis in me Beneficiis, quæ à primo in hanc Urbem adventu contuliſti, ſi quo deberem, non poſſum, quomodo ſaltem poſſum, aliquam grati animi ſignifica-

tionem exhibeam. Siquidem, nec ejus mihi conditionis opes ſunt, quæ pro muneribus munera referre digna poſsint, nec illius Tibi, quæ ab Optimatùm quocumque hujus generis munera patiantur. Proprii autem ingenii partus, qui pro maximis donis dignum ſæpe numero tributum creduntur, ſi quos univerſo mentis meæ conatu producerem, ad præſens opus minimè eſſent idonei; nec cujuſcumque enim ingenij partus hominum quorumcumque, ſed in re literaria primæ notæ expertiſsimorum Virorum excellentiores tantummodo tales ſunt, quales ſummo Doctiſsimoque Præſuli, The-

barum Archiepiſcopo, apud Regiam Celſitudinem Magni Etruriæ Ducis Apoſtolico Nuncio, ac facultate etiam de Latere Legato, &, quod nomen omni Titulo, ac Dignitatis commendatione majus eſt, LAZARO PALLAVICINO offerri liceat. Quos itaque Te dignos, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul, ipſos ingenii mei partus præſtare non poſsum, non item à claris aliorum mentibus adoptionis lege meos nequeo conſtituere: quà lege eiſdem vel Te donare, vel ſummum virum quemcumque poteſtas mihi foret ampliſsima. Præclarum hoc igitur excellentiſsimæ mentis Opus ingrati

Ani-

Animi argumentum à me benigne accipias Prǫſul Ampliſſime ; neque enim Te indignum eſt, ſi de futuro Animarum ſtatu, operationibuſque profundè diſserit, de Dogmaticis rebus, atque Iuri, quod Canonicum nuncupatur, ſubiectis, de iis inquam, quæ Sacræ Purpuræ Candidatos exornare præſertim debent, in re verò maximum prǫſidium habent, ſummumque decus. Neque hoc verè me mihi adoptaſse diffido, ſi domǫſticæ tantùm luci privatos inter parietes natum, & dici multumque ibi à Patre ſuppreſsum, per me lucem publicam, magiſque utilem, præclaram, perpętuam-

que

que vitam obtineat. Eo itaque ſuaviſsimo corde, humaniſsimoque vultu, quo me, meoſque omnes Patrocinium Tuum adeuntes ſuſcepiſti, hoc [quodcumque tādem ſit] perpetui obſequii monumentum dedigneris; & ſi munus tot Beneficiis nimiùm impar agnoſcas, Animum multò majora cupientem intueare; atque ut Te Patrono diù gaudeat, glorieturque, permittas. Vale.

Illuſtr. ac Reverend. D. Tuæ.

Kal. Novemb. MDCCXXI.

Humil., & Addictiſs Servus.
Dominicus Ambroſius Verdi.

AUCTORIS.

Præfatio, & Proteſtatio.

BEneficia, quæ ex Suffragiis pro Animabus Purgatorii oblatis multa magna nobis provenire quotidiana experientia dignoſcimus, animum ad inveſtigãdum impulerunt, an hæc poſſint ex earumdem SS. Animarum orationibus provenire; ut ſi cognoverimus, hoc eſſe probabiliſſimũ, poſſimus noſtras neceſſitates eorum orationibus commendare, eiſque ſimul noſtris ſuffragiis vices reddere grati amoris. Hoc autem libentiſſime facio, quia me ad hoc hortatur Spiritus Sanctus, qui ait in *Eccleſiaſt.* 7. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam, non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula*, & *in Ruth.* 1. 8. *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis. Et in Tobia* 4. 18. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepul-*

tu-

turam Juſti conſtitue. Et iterum in Eccl. 38. 16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare; & in Apoſt. ad Hæbr. ult. 3. Mementote vinctorum; Ergo lubenti animo viam hanc charitatis me percurrente intonuit de Cælo S. *Bernardinus Senen. to. 4. Ser. 15. extravag. 2. part. Quemadmodum dum homo dolet pedem, vel manum, aut oculum, cætera membra lugent, ita debet eſſe, aut fieri circa Animas Purgatorii. Et S. Junilius in lib. de util. cond. hum. Cujus pectus tã ferreum, cujus cor lapideum, ut gemitus non exprimat, lacrymas non effundat; cum proximi, vel Amici morbum, vel interitum intuetur, ut patientibus non compatiatur, & dolentibus non condoleat?* Unde factum eſt; ut ad Eccleſiæ membra, Proximoſque, & Amicos meos in Purgatorio cruciatos ſollicite opitulandos Amoris Vices properarent. Quid plura?

Non-

Nonne Vices Amoris non tam à nobis eſſe reddendas, ſed fore ab Animabus repetundas clamant Scriptura Sacra., Sacrique Scriptores? Ita S. *Lucas 6. 48. Date*, *& dabitur vobis*, *menſurā bonam*, *& confertam*, *& coagitatam*, *& ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum*. Quem locum Animabus Purgatorii applicat. *Manſ. Bibl. Mor. de Purgat. diſc. 7. n. 5. S. Io: Damaſc. Or. de fid. def. Beatus*, *qui ſpe minima tribuerit*, *atque elargiverit*; *Beatior autem qui ſua*, *& proximi cauſa laboraverit*. S. *Hyerom. ap. Manſ. de Purg. diſc. 7. 15. Quantam conſolationem defunctis impendimus*, *tantum vice verſa recipimus*. Vides ergo vices verſás Amoris vivorum ad mortuos, & mortuorum ad vivos? Igitur de Oratione Animarum, & ad Animas pertractemus; premiſſa tamen bina proteſtatione. Prima eſt quod circa pertinentia ad Decretum Urb. VIII. in ma-

teria de nondum Canonizatis, aut Beatificatis in revelationibus, &c. exceptis ab Eccleſia approbatis, proteſtor me fide tantum ſcribere humana. Secunda, quod in omnibus, & ſingulis tam propoſitionibus, quinimmo, & ſyllabis, me, ſcripturamque meam S. Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ judicio lubentiſſime ſubmitto.

CAPUT PRIMUM.

De Orationis Fructibus.

1. *Diſcipulus.* MUlta quidem, ac varia de orationis fructibus audivi, atque perlegi. Doce me quæſo, quid ipſe ſentias, atque ſit à me opportune ſentiendum.

2. *Magiſter.* Plantavit Dominus Deus Eccleſiam ſuam, tamquã iucundiſſimum viridarium, in quo poſuit Arborem producẽtem triplicis generis fructus. Hec eſt Oratio, cujus fructus tres numerantur; nempe 1 Meritorius. 2. Satisfactorius; 3. Impetratorius. *Ex Maſtr. Theol. Mor. diſp.* 23. *q.* 5. *art.* 1. *n.* 47.

3. *D.* quid intelligitur pro fructu meritorio?

M. Jam ſuppono, quod Oratio fiat ab aliquo exiſtente in gratia; Cum ergo Oratio ſit actio bona, & procedat ex charitate, cer-

 tum

tum eſt, quod placet Deo, & ab infinito illo liberaliſſimo Remuneratore præmianda eſt in Paradiſo. Igitur illud meritum, quod acquiritur Oratione, cui pro præmio correſpondebit in Cœlo portio gloriæ, vocatur Orationis Fructus meritorius.

4. *D.* Ille qui orat poteſt ne alteri diſpenſare, vel diſtribuere fructum ſuum meritorium?

M. Minimè. Hic enim fructus ſpecialiſſimus ita eſt ipſi oranti proprius, ut donari non poſſit alteri. Quis enim ſuum jus ad Gloriam dabit alteri? Nonne legiſti in Evangelio, quòd conductis operariis à Domino Vineæ diſtributa eſt merces in ſingulari? *Acceperūt ſingulos denarios. Matt.* 20. 9. Vides, quod præmium debitum uni Operario non dedit Dominus Vineæ alteri; ſed ipſi laboranti? *Maſt. ib. ex Scot. quol.* 20. *art.* 1., & citat *Fabr. diſp.* 37. *c.* 1. *n.* 15.

5. *D.* Quid eſt fructus ſatisfatorius? *M.* O-

M. Omne opus, quod affert aliquam pœnam, ſive incommodum dicitur pœnale; cujus generis eſt illa actio, quæ eſt oratio. Patiendo aliquam pęnam ſatisfit pro culpa? igitur pro culpis ſatisfacit oratio, quatenus opus pęnale eſt. Hic eſt fructus ſatisfactorius, quo homo ſolvit Deo debita, quę peccando contraxerat; & ſicut nullus impedit, quod ex meis pecuniis, alterius debita ſolvam, quin ſic ſolvendo exerceo actum charitatis; ita Deus gaudens de charitate Proximi approbat, quod hunc fructum ſatisfactorium alteri (ſi velimus] applicemus, & applicantibus Nobis pro illo altero, Deus benigniſſime acceptat. *Bonac. de Indulg. diſp. 6. q. 2. p. 1.*

6. *D.* Explica Fructum Impetratorium.

M. Oratio poteſt conſiderari, ut eſt actio obſequioſa, & etiam ut eſt actio gratioſa. Etenim ille, qui orat debet eſſe gratioſus ei,

quem exorat, & inſuper petitio fieri debet cum obſequio erga eum, ad quem dirigitur, unde fit quod gratioſitas iſta, & obſequioſitas producat moraliter fructum impetratorium; nempe inclinant animum Poſtulati, ut petita concedat. Exemplum de obſequio mentis accipe ab Abrahamo, qui deprecans Deum pro Sodomis humiliter ajebat: *loquar ad Dominum meum cum ſim pulvis, & cinis. Gen.* 18. 27. De obſequio Corporis habes Salomonem, qui exorans in Templo *utrumque genu in terram fixerat* 1. *Reg*. 8. 54.

7. *D*. Collige breviter ſupradicta, ut facilius memoria teneam.

M. Pia Oratio tres producit fructus 1. Meritorium. 2. Satisfactorium. 3. Impetratorium. Producit fructum Meritorium, quatenus procedit ex charitate: Satisfactorium, quatenus eſt opus penale: Impetratorium, quatenus fit à Perſona gratioſa, & cum ob-

obſequio. Oratio, inquam, acceptatur à Deo ad meritum, ad ſatisfactionem, & ad impetrationem. Ad meritum, quo orans ſibi ſoli acquirit portionem gloriæ: Ad ſatisfactionem, qua oranti, vel aliis remittitur pœna: ad impetrationem, qua orans aliis, vel ſibi obtinet aliquam gratiam: & clare *Alex. de Aleſ. par. 4. q. 26. memb. 3. art. 4. in reſol. Oratio vel eſt ad aliquid deguſtandum, vel ad aliquid exolvendum, vel ad aliquid impetrandum.*

8. *D.* Iſti tres fructus ſunt ne ab invicem ſeparabiles?

M. Quoniam orationis Arbor per tres diſtinctos ramos hos tres diverſi generis fructus producit, ideo ſunt equidem ab invicem ſeparabiles. Tres diſtincti Rami ſunt, Charitas, Pœnalitas, & Gratioſitas cum obſequio, ut diximus, quare ergo nequit colligi fructus unius generis relicto altero, & præcipue ſi Orans ſit im-

peditus alterutrum carpere? Vide ſeparabilitatem. Oratio in Beatis caret fructu meritorio, quia non poſſunt augere ſibi gloriam, & caret fructu ſatisfactorio, quia nequeunt pati; attamen abundat fructu impetratorio, quo poſtulatas gratias à Deo obtinēt. In Viatoribus juſtis pia Oratio ſemper habet fructum meritorium ipſi oranti; ſed ſatisfactorium, & impetratorium poteſt Orans applicare alteri; immò alteri ſatisfactorium, alteri impetratorium. Nonnè igitur ſunt ſeparabiles?

CAPUT SECUNDUM.

De requiſitis ad Orationem.

9. *D.* DEclara, quæſo, ea, quæ requiruntur ad piam Orationem.

M. Explicatis Orationis fructibus, facilè ipſam Orationem explicabimus; fructus enim oſtendunt

dunt, qualis ſit Arbor. Oratio definitur a *S. Jo. Damaſc. lib.* 3. *de fide ort.* quod ſit; *Petitio decentium a Deo*, & à DD. in re comuniter, ut ait *Reinf. theol. mor. tr.* 3. *diſt.* 5. *q.* 5. definitur quod ſit; *Rationabilis alicujus Boni à Deo Poſtulatio.*

10. *D.* Igitur verum erit quod aſſerit *Suarez de Relig. t.* 2. *l.* 1. *cap.* 10. *nu.* 1. nempè quòd Oratio includit quatuor 1. Eum qui petit. 2. Alium à quo petit. 3. Aliquid quod petitur. 4. Illum cui petitur.

M. Ita eſt.

11. *D.* Ex parte ejus, qui petit, ſeu ex parte Orantis, quæ nam interveniunt in Oratione?

M. Colligitur ex variis Doctoribus, & præcipuè *Suarez. de Relig. l.* 2. *c.* 9. *& ſeq.* in Oratione plura intervenire ex parte Orantis. 1. Intervenit in intellectu judicium de *Poteſtate* Alterius ad rem præſtandam, nam qui putat

alterum non poſſe concedere, eum non orabit. 2. Judicium de *Volitione* alterius ad præſtandam rem, ſaltem ſub conditione, ſi fiat petitio; Nam licet credat poſſe, ſi putet nolle concedere, non petet 3. Judicium de *Convenientia* ideſt quod ſit conveniens rem ab illo procurare, & petere. Nam cum voluntas feratur in bonum, debet intellectus ei demonſtrare rem petendam eſſe bonam, & convenientem. 4. Cognitio, ſeu probabilis opinio *Deficientiæ* rei petendæ. Nam ex deficientia naſcitur deſiderium, quia nemo deſiderat quod poſſidet; ſed deſiderium eſt in bonum abſens, & quo deſiderans caret. Quis enim putans rem aliquam habere illam ab alio petit? 5. Ex conſequẽti in voluntate orantis reperitur *Deſiderium* obtinẽdi ab altero id, quod petit, etenim ſolus appetitus deſiderii excitatur à bono cognito abſente, & conveniente.

6. *De-*

6. *Determinatio* petendi talem rem a tali perſona. Etenim voluntas taliter eſt libera,quod non obſtante bono cognito poteſt ſuſpendere volitionis actum; igitur ad petendum debet ſe determinare. 7. *Spes* obtinendi rem petendam. Nam ex *Ariſt. lib.* 1. *Rhet. c.* 38. ſperant homines res futuras, ideſt poſſibiles. Vocaſtultum hominem illum, qui putans finem ſibi impoſſibilem,adhibet ad illum media; igitur in eo, qui ad obtinendum aliquid,adhibet medium orationis debet,ineſſe ſpes illud obtinendi. 8. *Explicatio* hujus deficientiæ, deſiderii, & determinationis. Si enim alter neſciat tuam deficientiam; non exercebit ſuam poteſtatem ad eā ſublevādam. Et cum voluntas nequeat ferri in incognitum, ſi alter tua neſciat; tuis rebus nequit velle ſuccurrere. Quod ſi inſuper tuum deſiderium, & determinatam volitionem obtinendi non

videat, poterit tibi etiam invito ſuccurrere, ſed ex liberali compaſſione, & compaſſiva liberalitate, non ex merito orationis, igitur ad obtinendum ex oratione requiritur ſupradicta Explicatio. 9. Hæc explicatio eſt facienda per modum *obſequii*. Equidẽ Principes explicãt ſubditis quidquid ab eis volunt, ſed cum iſta explicatio ſit per modum imperii, eſt potius Juſſio, non ſupplicatio, vel oratio; igitur ad hoc ut ſit oratio, debet fieri per modum obſequii.

12. *D*. Percepi quæ interveniant in Oratione ex parte Orantis, dic amabò, quæ requirantur ex parte poſtulati, ſeu alterius, ad quem ſit Oratio, ſeu à quo res aliqua poſtulatur.

M. Ex parte poſtulati, ſeu Alterius à quo res petitur, reperitur 1. *Cognitio neceſſitatis* Orantis; cum enim voluntas non feratur

in

in incognitum, ideo neſciens neceſſitatem, nequit velle ſuccurrere. 2. *Cognitio petitionis*: quia licet ſciens aliundè neceſſitatem poſſit velle ſuccurrere ex liberalitate; attamen niſi ſciat tuam petitionem, nequit tibi velle ſuccurrere ex tua oratione. 3. *Poteſtas conferendi petita*; *ſive principaliter, ſive impetrative.* Finis petitus nequit haberi, niſi medio velle poſtulati. Poſtulatus ergo ordinatè volens, nequit velle, niſi adſit poſſe, quia poſſe eſt ordinatum ad velle. 4. *Cognitio ſaltem probabilis hujus propriæ poteſtatis.* Temeritatis hoc genus eſſet, ignorare poſſe, & velle donare. Si in aliquo prædio lateret Theſaurus, & Dominus prædii promitteret alicui decem millia talenta: licèt verè poteſtatem haberet ea dandi ex Theſauro; quia tamen ignorat ſe Theſaurum poſſidere, temerè promitteret; ita non ſufficit, quòd Poſtulatus

habeat realiter poteſtatem concedendi petita, ſed requiritur cognitio ſaltem probabilis ſuę poteſtatis. 6. *Volitio conferendi*. Sunt quidem media ordinata ad finem; ſed etiam ordinem ſervant inter ſe; Cum ergo poteſtas conferendi ſit unum medium, & volitio utendi hac poteſtate ſit aliud medium ad obtinendum finem, ſeu gratiam poſtulatam; Non ſufficit ad orationem poteſtas donandi, & cognitio talis poteſtatis, ſed reperitur volitio utendi hac poteſtate.

13 *D*. Recenſe alia requiſita ad Orationem.

M. Ad huc requiritur in utroque, ſeu reſpective in alterutro, in poſtulante videlicet, vel poſtulato [loquimur de Creaturis; Deus enim nullum poteſt orare, ſed ab omnibus debet orari] requiritur inquam 1. *Status viæ*, per quem includuntur juſti Viatores ad omnem Orationis fructum,

nem-

nempe meritorium, ſatisfactoriū, & impetratorium. Excluduntur à fructu meritorio Animæ Beatæ, & Purgantes, quia ſunt in termino meriti; & à fructu ſatisfactorio Beatæ, quia nihil habent ſatisfaciendum, aut patiendum; Purgantes, quia aliis pęnis, non oratione ſatisfacere, vel ſatis pati ſtatutum eſt. Non tamen excluduntur à fructu impetratorio Angeli, & Beati, qui licet non ſint in ſtatu Viæ, attamen poſſunt orare, & impetrare, ut definivit Eccleſia. Verum enim vero à fructu meritorio, ſatisfactorio, & impetratorio excluduntur Dęmones, ac Damnati, quia non ſunt in via, ſed in ſtatu. Petivit quidem diabolus decipere Achab, tẽtare Job, intrare in porcos, & datum eſt ei quod petebat, igitur eius petitio fuit oratio? Minime. Reſpondent comuniter Doctores, quod Deus non exaudiendo diabolicam peti-

titionem, ſed ſua permiſſione dedit hæc fieri. Etiam Dives ille petiit in Inferno guttam aquæ, & legationem Lazari ad Fratres: Utrumque fuit ei denegatum; quia Damnatorum deprecatoriæ voces ſunt petitiones prorſus nudæ, non impetratoriæ. 2. *Status gratiæ*, per quem includuntur juſti omnes; Angeli quidem, & Beati ad fructum impetratorium tantum; Viatores ad utrumque, ideſt ad meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium. Ex hoc alio capite excluduntur à tribus aliis fructibus non ſolum Dæmones, ac Damnati, ſed Peccantes Viatores, niſi forte ſecũdum unam opinionem non à fructu ſatisfactorio pro aliis, ſaltem indulgentialiter. Peccantium enim non eſt vera, propria, ac pia oratio, quia non procedit ex charitate. *Scimus quia Peccatores Deus non audit. Jo. 9. 31.* Non audit inquam de condigno, ut ajunt Theologi; ſed piiſſimus

ſimus ille Pater de congruo audit donando vel bona temporalia, vel diſpoſitiones ad gratiã vi ſuæ infinitæ liberalitatis, non intuitu orantis, & ideo ipſis etiam peccatoribus optimum eſt piis operibus, orationique vacare. 3. Tandem ex parte Orantis reperitur *Impetratio*, & ex parte orati *Collatio*, vel principaliter, vel impetrativè boni poſtulati: in hoc enim conſumatur Oratio, etiam quantum ad executionem, & cauſam finalem, ut notavit *Rein. Th. Mor. tr.* 1. *d.* 2. *q.* 9. *n.* 40., *& ſeq.*

14 *D.* Requiritur ne aliquid ex parte Rei petendæ?

M. Ita. Oratio debet eſſe *Rerum decentium.* Porrò unum eſt decens, ac neceſſarium; ideſt Gloria eterna: ideò quidquid piè petitur à viatoribus in oratione, petitur in ordine ad Gloriã; vel *per ſe* ut gratia ſantificans; *vel per accidens*; ut ſanitas, cujus uſu bona operemur; vel *mediatè*, ut Sacra-

cramenta quibus mediantibus cõfertur gratia; vel *immediate;* ut ipſa Gloria, vel *implicite* ut omnia opera bona, vel *explicite*, ut vita æterna, &c. ſic in Beatis omne, quod peteretur ad eorum gloriã accidentalem, ut canonizatio, inventio Reliquiæ, &c. ſic in Purgantibus diminutio pœnæ, &c.

15 *D.* Quid tandem requiritur in Oratione ex parte illius, cui petitur aliquid?

M. Ille, qui orat petit aliquid vel pro ſe, vel pro aliis. Ex parte illius, cui petitur aliquid, requiritur, quod ſit *ſubiectum capax rei petitæ*, vel ille, cui petitur, ſit ipſe orans, vel alius ab orante diſtinctus. Debet ergo eſſe capax, ideſt non habere impedimentum *Phyſicum*, vel *morale* petitam rem recipiendi. Sic mala eſſet oratio, petere rebus inſenſatis, & animalibus bona ſpiritualia; nam carent mente, quæ ſola eſt capax phyſice, & moraliter talium bono-

no-

norum; ideoq; impedimentum habent phyſicum, ac morale. Item petere Dœmoniis, ac Damnatis gloriam Cæleſtem; nam licet habeāt mentem phyſicè capacē gloriæ, tamen ſubſunt ſententiæ finali; Sicque habent impedimentum morale. Item Cæleſtem gloriam petere viatoribus manentibus adhuc in ſtatu viæ, vel infidelibus perſeverantibus adhuc in ſtatu infidelitatis; vel peccatoribus obſtinatis adhuc in ſtatu peccati mortalis; nam obſtat impedimentum morale, nempe ſtatus reſpectivè, vel viæ, vel infidelitatis, vel peccati.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Animabus Purgatorii conveniat orare.

16 *D.* EX antedictis inſurgit mihi dubium; Utrum Animabus Purgatorii conveniat orare? Placeat tibi quæſo illud mihi expla-

explanare. Et obſerva, quod non quæro, utrum Animæ illę poſſint orare Deum, vel Sanctos, vel viatores, vel ſe ipſas invicem; vel pro ſe, vel pro aliis; hoc enim favente Deo declarabis inſequentibus. Dubium meum preſens eſt, utrum inſit Animabus illis aliqua repugnantia, ſeu impedimentum ad eliciendum actû Orationis?

17 *M.* Animabus Purgatorii convenit orare.

18 *D.* Sunt nè aliquæ Auctoritates, quibus hæc tua aſſertio nitatur?

M. Sicut qui narraret Europęos navigare ad Indos, implicite fateretur Europæos poſſe navigare, ſic omnes, qui aſſerunt Animas illas orare Deum, vel Sanctos, vel pro ſe, vel pro nobis, implicitè tenet Animas illas poſſe orare, ideſt nullum impedimentum habere ad actum Orationis;

19 *D.*

19 *D.* Audirem libenter aliquos à te citari.

M. Poteſt aſſertio adduci ex *Baruch.* 3. 4. Ex *Job* 42. 8. Ex *Jonæ* 2. 2. Ex *Luc.* 6. 38. item inter Patres ex *Hyeronim. ap. Mauſ. Bibl. Mor. de Purg. diſc.* 7. *nu.* 5. Ex *S. Chryſoſt. hom.* 21 *in Act. Ap.* Ex *S. Amb. or. in obitu frat. ſui Satiri* Ex *S. Aug. ſerm.* 226. *de temp. in fin.* Quas Sacræ Scripturæ, & Patrum ſententias videbimus in ſequentibus. Item ex *S. Birgit. l.* 4. *rev. c.* 7. clare tenent *S. Chatharina Bonon. in vita eius ſcripta. Graſſet. l.* 3. *cap.* 3. *Alenſis p.* 4. *q.* 2*. memb.* 3. *art.* 4. §. 4. *in reſol. Suarez. de Relig. p.* 2. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 14. *Bellarm. de Purg. l.* 2. *c.* 15. *Leſſius l.* 2. *c.* 37. *dub.* 5. *num.* 23. *Layman. p.* 2. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 5. *Greg. de Valent. tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *p.* 6. *Bonacc. de Hor. Can. diſp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 8. & *de* Sacram. *diſp.* 6. *q.* 1. *nu.* 16. *citans Enriq. c.* 8. *num.* 11. *Graſſ. Addit. ad dec. aur. c.* 4. *nu.* 26.

26. *Coninch. diſp.* 10. *dub.* 246. item tenent *Medina in* 4. *q. de An. Jo. à Lugo in avviſ. ad Curas c.*35. *pag.* 5. *Gabriel. in Can. Miſſ. l.* 56. *g. p. citati à Navarro tom.* 1. *de or. c.* 20. *nu.* 1. item *Faber*, *Aſteſanus Brancatus cit. à Maſtr. Theol. Mor. diſp.* 24. *q.* 2. *n.* 42. item *Pignatellus tom.* 9. *conſult.* 104. *n.* 8., & *ſeq. Caſtrop. de Or. p.* 2. *p.* 4. *n.* 9. *Beccanus de juſt. & jure c.* 83. *q.* 5. *concl.* 5. item ex Aſceticis *Roſignoli de Animab. Purg. p.* 2. *in introd. Luc. Pinel. de Alt. vit. c.* 26. *Mann. Sac. trig. diſ.* 13. *n.* 13., & alii paſſim. Quinimmò ipſe Toſtatus, qui Animabus illis omnem actum Orationis negat, tamen de poſſe orare ſic ait in *cap.* 6. *Matth. q.* 83. *Poſſent ergo in Purgatorio exiſtentes orare pro ſe, & pro nobis, cum ſint naturæ rationalis, & ſciant formare petitiones.*

20 *D.* Tantorum virorum animũ inexpugnabiles rationes movere non dubito, ſed placeat ali-

quas

quas ex his rationibus in medium adducere.

M. Recordare quæ ſupra *n.* 11. recenſuimus de requiſitis ex parte Orantis, & ſingula percurrendo videbis omnia reperiri in illis Animabus. Nonne habent habilitatem ad cognoſcendum, & judicandum, & deſiderandum, & ſperandum, & ſe explicandum, inſuper & ſtatutum gratiæ? quid eſt poſſe orare niſi omnia ibi dicta efficere poſſe? Nullum impedimentum, nec phyſicum, nec morale ad ſupradicta habere? ergo eis convenit orare. Quid diceres de homine habente organa proportionata; nec moraliter, nec phyſice impedita ad videndum? Equidem fatendum eſſet Hominem illum poſſe videre; igitur cum Animæ illæ habeant omnia requiſita ad orandum; ut patet percurrenti ſingula; Non eſt unde negemus, eas poſſe orare.

21 Adhuc alias rationes.

M. Non

M. Non ego, ſed Magiſter irrefragabilis eas producat ſuis ipſis verbis *loc. cit.* ubi ſic ait. *Dicit Hugo de virt. or.* mens humana ne pigra ſit ad orandum, ſua neceſſitate compellitur, ne trepida, & diffidens, Dei pietate provocatur, his duabus alis oratio ſublevatur; Sed hæc duo in Purgatorio invenimus; Ideſt miſeriam permaximam, & Miſericordiam Divinam; niſi enim Miſericordia ſe ad ipſas extenderet fruſtra Eccleſia ſuffragia frequentaret: ergò poſſunt orare. Præterea ſuper illud *exaudi Domine juſtitiam meam* dicit Gloſſa; quod oratio ſit pro malis amovendis, & bonis adipiſcendis, qua ratione quamdiu vivimus oramus, quia utroquè indigemus, ergò eadem ratione poſiti in Purgatorio poſſunt orare, cũ utroque indigeãt, ideſt amotione pænæ, & aſſecutione gloriæ. Præterea infinita eſt Dei Miſericordia, ergò ab omni ha-

habente affectionem ordinatam eſt imploranda; ſed Animæ in Purgatorio habent affectiones ordinatas, ergò poſſunt orare. Præterea hoc videmus exemplo ſenſibili, quia quanto plus quis ab alio affligitur, tanto amplius diſponit ſe ad humiliari, & veniam petere; niſi per impatientiam agitetur, ſed magis affliguntur in Purgatorio Animæ, quam affligerentur in vita præſenti, ergo ſunt magis diſpoſitæ ad poſſe orare.

CAPUT QUARTUM.

Satis fit obiectionibus.

22 *D.* TUa venia: Non perfectè acquieſco ſupradictæ Aſſertioni; nam aliquando audivi unàm opinionem Theologorum circa Animarum orationem eſſe has orare nõ poſſe, ideòque nos ad illas orare nõ deberè, quæ propoſitio fulciebatur ſequẽti-

tibus auctoritatibus *S. Thom. 2.2. q. 83. art. 11. ad 3., & in 4. Sent. diſt. 15. q. 4. art. 5. quæſt. 2. ad 2. Toſtat. in cap. 6. Matth. qu. 83., Caietan. ſuper q. 83. d. Thom. cit. S. Antonin. in ſumm. p. 4. tit. 5. c. 8. §. 2. in fin. Alenſis p. 4. q. 26. in 3. q. 26. art. 4. §. 1. q. 3. Silveſter V. Oratio n. 3. Navar. in Ench. c. 1. n. 22. 26., & c. 20. n. 9., & ſeq. Durand. l. 4. c. 14. n. 16. Raphael. Torr. 2. 2. q. 83. art. 11. diſp. 2. Azorius p. 1. l. 9. c. 10. q. 10., & cap. 30. q. 40. Gav. in rubr. miſſ. t. 7. l. M. Filliuc. p. 2. tr. 23. 1. 2. n. 61. Capiſucch. contr. 6. ex ſelect. §. 2. Schol. ſalm. Th. mor. t. 5. tr. 21. c. 9. p. 2. n. 24. & p. 5. nu. 79.* cum aliis.

23 *M.* Bone Deus! quis unquã tibi dixit hos omnes Doctores tenere hanc propoſitionem, nempe Animas illas orare non poſſe, inde nos ad illas orare non debere? Perluſtremus quæſo Doctores ipſos in locis citatis. Accipe Do-

cto-

ctorem inrefragabilem *p.* 4. *q.* 26. *Membr.* 3. *art* 4. §. 4. *q.* 3. lege, lege quid dicat.

24. *D.* Ait ſic. *Exiſtentibus in Purgatorio orare quidem convenit, ſed non ad aliquid deguſtandum, vel exolvendum, ſed tantum impetrandum*: quod poſtquam probat, ſubdit. *Orant igitur Animæ in Purgatorio exiſtentes non pro aliis, ſed tamquam miſeræ pro ſe tantum.*

25. *M.* Vide ergo, quod non tenet eas orare non poſſe. Sed ecce *Doct. Angelic. in* 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 3. inſpice quod ſcribat.

D. Dicendum quod illi, qui ſunt in Purgatorio, etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, ſunt tamen inferiores quantum ad pęnas, quas patiuntur, & ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi; ſed ut magis oretur pro eis. Cajetanus verò ſic, *quod ſi fundamentum, ac radix, unde Sanctorum in Patria pro nobis prodit* (oratio) *conſideretur diligenter, invenitur locum habere*

in ipſis comprehenſoribus; ſed etiam in Sanctis, qui orant in Lymbo, quoniam charitas eorumdem in ſtatu ſuperiori ſimpliciter ponitur ratio orandi pro nobis. Propter hoc enim ſecundum excluduntur in reſponſione ad tertium exiſtentes in Purgatorio ab orando pro nobis, quia non ſunt totaliter nobis ſuperiores, ſed ratione pœnarū inferiores, & egentes noſtris orationibus.

26. Igitur Cajetanus excludit Animas ab orare pro nobis, ſed non dicit eas non poſſe orare ſimpliciter, vel pro ſe; quia ad orare pro ſe non militat adductum impedimentum inferioritatis.

27. *D.* Sed de S. Thoma quid ais?

M. Dico quod loquitur eas nō eſſe in ſtatu orandi; intellige pro nobis, quod ut clarius videas; Nota, quod iſte eſt Titulus illius quæſtionis octuageſimæ tertiæ. *Utrum Sancti qui ſunt in Patria orent pro nobis?* In tertio argumen-

mento lege hic quam ſibi faciat oppoſitionem. *Sicut Sancti, qui ſunt in Patria, ſunt ſuperiores nobis, ita et illi, qui ſunt in Purgatorio, quia iam peccare non poſſunt; ſed illi, qui ſunt in Purgatorio non orant pro nobis, ſed magis pro eis, ergo nec ſancti, qui ſunt in Patria.* Igitur non dicit S. Doctor Animas illas non poſſe orare. *Adde Suarez in 3. p. D. Th. diſp. 47. ſect. 2. n. 9. in fine. Diuus Thomas nec conſtanter, nec abſolutè oppoſitum* (Animas non orare pro nobis) *docet, ſed comparativè ait magis eſſe in ſtatu, in quo pro eis oretur, quam orandi.* Ergo ad mentem Suarez, non negat S. Thomas abſolutè Animas poſſe orare; ſed comparativè loquens ait, magis eſſe in ſtatu, quod pro eis oretur, quam orandi. Nota efficaciam locutionis comparativæ. Locutio comparativa ſupponit abſolutam, ſeu poſitivam; u. g. Studium orationis magis prodeſt, quam ſtudium

Phyloſophiæ; ſupponit poſſe aliquem ſtudere orationi, & Phyloſophiæ; igitur hoc loco loquens S. Thom. cõparative; ideſt quod magis ſint in ſtatu, quod pro eis oretur, quam orandi, ſupponit utrumque, nempè quòd poſſit pro eis orari, & poſſe eas orare; quod clarius apparet in alio textu in oppoſitum citato, ideſt *in 4. ſent. diſt. 15. q. 4. art. 5. q. 2. ad 2.* Ubi hæc eius verba. *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis illi, qui ſunt in Purgatorio, ſint in maiori ſecuritate, quã nos, tamen ſunt in maiori afflictione, & iterum non ſunt in ſtatu merendi, & ideo magis indigent, ut pro eis oretur, quam quod ipſi orent.* Quæ clarior comparativa? ſuppone igitur poſitivũ, quòd orent, & quòd pro eis oretur; magis indigent, quòd pro eis oretur, quam quòd ipſi orent.

28 *D.* Aliquantulum reſpiro; Auctoritas enim tantorum virorum mentem opprimebat meam ita-

itaut nou poſſem quiete ecquieſcere opinioni affirmativæ. Forſitan alii Doctores citati conſona lingua loquuntur.

M. Eos, quos hæc Bibliotheca continet perluſtremus, & an habeant ſupradictam propoſitioné, ideſt Animas illas orare non poſſe, ideòque Nos ad illas orare non debere; perſcrutabimur.

29. *D. En S. Antonin. p.* 4. *ſum. Theb. tit.* 5. §. 2. in fine ſic habet. *Ad eos, qui ſunt in Mundo non debet propriè fieri oratio, quia cum vita æterna principaliter petatur; ad Sanctos, qui eam habeant, & non ad eos, qui non habent, ut converſantes in Mundo, dirigenda eſt oratio, vel deprecatio, & eadem ratione ad eos, qui ſunt in Purgatorio non eſt dirigenda oratio, cum ſint in afflictione; ſed nec ſupplicatio ſicut ad Bonos, qui ſunt in Mundo, quia non ſunt in ſtatu merendi, ſicut illi.*

30. *M.* Ergo nota, quod ibi Sanctus iſte non loquitur de oratione

Animarum, ideſt quòd non poſſint orare, ſed loquitur de oratione ad Animas non facienda. Audi nunc citatum *Silveſt. V. Oratio n. 3. Oratio tamquam deprecatoria porrigenda eſt ad Sanctos, qui ſunt in Patria, non autē ad Sanctos qui ſunt in hoc Mundo, ſive in Purgatorio, quia nondum fruuntur viſione verbi, ut cognoſcere poſſint.*

31. *D.* Itanè etiam Silveſter de oratione ad Animas, non de oratione Animarum eloquitur? Equidem eumdem diſcurſum habet *Riccard. in 4. diſt. 15. Item fruſtra oramus illos, qui non cognoſcunt orationes noſtras, ſic dicit Aug. in lib. de cura pro mort. agend. inter medium, & finem. Ibi ſunt ſpiritus defunctorum, ubi nō vident quæcumque aguntur, aut eveniant in iſta vita hominibus.*

32. Exeat inſuper Navarrus, & ſua recitet ſcripta de *or. c. 1. n. 22. Undecimo infero, nec exiſtentes in Purgatorio, neque vivi*

quam-

quamtūlibet Sancti, ſunt orandi ſecundum S. Thom., & Riccard. quia ut ille ait, Oratione principaliter petitur Beatitudo, quam illi nondum habent, & non debet peti ab aliquo id, quo ipſe caret, quæ ratio licet non omnino concludat, quia multa petimus a multis, quæ ipſi non habent; non quidem ut ea ipſi præſtent, ſed ut ab aliis impetrent. Concluſio tamen tenenda eſt, quia licet exiſtentes in Purgatorio ſint majores nobis, qua parte de ſua Beatitudine ſunt certi, ſunt tamen minores, qua parte ſunt in ſtatu pœnali, & non in ſtatu orandi pro aliis, ſed ut oretur pro illis, & quia noſtras Orationes minime cognoſcunt. Numero verò 26. cit. ſcribit. Et de exiſtente in Purgatorio ait (loquitur de Abulenſe) *Numquam orare, quia ejus oratio non poteſt eſſe meritoria. Capite autem 20. num. 9. ille ait (Medina] Nos orare poſſe Animas Purgatorii, quæ ſunt Deo Amicæ, ut eum*

pro nobis orent, ego vero id negavi & nu. 10. cit. loquitur de comparatione Orationis ad Sanctos viventes, & ad Sanctos in Patria, & nihil dicit de Purgatorio; *Tandem num. undecimo ille ait* [*Medina*] *etiam Animas in Purgatorio exiſtentes orare Deum pro viventibus, ego vero contra.*

33 *D.* Ergo addendum eſt *pro nobis*; ideſt quod pro nobis tenet Navarrus Animas non orare; quid ſi poſſent orare Deum pro ſe? Certe Orationem abſolutè non negat iſte Doctor Animabus. Videamus, an eadem dicat *Raphael Torr. 2. 2. q. 83. art. 11. diſp. 2. Nihilominus oppoſita Sententia ſc. Non orare pro nobis, neque in generali, neque in ſpeciali, quæ circa dubium D. Thomæ eſt, & omnium Doctorum antiquiorum probabilior mihi apparet.*

34 *M.* Obſervaſti, quòd loquitur de Oratione Animarum pro nobis, non verò dicit eas non poſ-

poſſe orare? Sed quid dicam de Azorio? Hæc leguntur *p. 1. inſtit. mor. l. 9. c. 10. q, 10. Secundo rogabis, an juſti, qui ignibus Purgatorii debitas peccatorum pœnas exolvunt, pro nobis orent! Duæ ſunt opiniones. Nam S. Thom., & Alex. cenſent minimè pro nobis orare; licet orent pro ſe ipſis. Cōtra alii opinantur, & eos pro nobis orare, & poſſe nos ad eos preces dirigere*: & adductis rationibus nihil dicit de ſua opinione. *cap. 30. q. 4. Quarto quærttur, An juſti qui adhuc Purgatorias ſuſtinent pœnas orent pro nobis? Duæ ſunt opiniones, una negat, eo quòd &c. Altera opinio affirmat, quam ſequi videtur Medina, &c.* & poſt recitationem, & ſolutionem rationum, non dicit, quid ſentiat; undè ergo ex hoc auctore Animas illas non poſſe orare?

35 Expediamus tandem quos tantum præ manibus habemus Gavantum, & Filliuccium.

M. Gavantus in rubr. miſſ. tit. 7. l. M. Significatur etiam non poſſe defunctos in Purgatorio juvare viventes. Durand. l. 4. c. 15. cujus Sententia eſt probabilior. S. Thom. 22. q. 83. quem ſequitur Navarr. c. 20. nu. 9. contra Medinam. Igitur non dicit Animas abſolutè non poſſe orare ſaltem pro ſe, ſed pro viventibus *Filliuccius verò p. 2. oo. mor. es. 23. c. 2. nu. 61. Dices an etiam ſint exorandi, qui ſunt in Purgatorio? reſp. negative cum comuni Theol. S. Thom. Ratio eſt. Quia non ſunt adhuc in ſtatu, ut poſſint cognoſcere petitiones noſtras, & ideò oratio directa ad ipſos vana eſſet, & otioſa.* Nonne ergo loquitur de Oratione ad Animas, nihil de Oratione Animarum?

CA-

CAPUT QUINTUM.

Utrum Animæ Purgatorii orent Deum pro ſe?

36 *D.* ADeſſe in Animabus Purgantibus potentiam ad orandum jam amplius non dubito. Neſcio tamen utrum actualiter orent Deum pro ſe, quid doces circa hoc quæſitum?

M. Animæ Purgatorij orant Deum pro Se. Notabis tamen, quod cum actualis oratio dependeat ab Animæ voluntate, ideo in præſenti, ac ſequentibus, cum dicimus Animas orare; intelligimus, quando volunt: & inſuper quòd orent, vel diſiunctivè, vel copulativè; ideſt, vel omnes, vel aliquæ; nempe illæ, quæ volunt; quia actualis oratio dependet à volitione actuali Orantis.

37 *D.* Quibus Auctoritatum fundamentis nititur hæc propoſitio?

M. Animas Purgatorii orare Deum pro ſe deducitur ex *Iona cap.* 2. 23. *Et oravit Ionas ad Dominum de ventre piſcis, & dixit, clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me, de ventre inferi clamavi.* Iſte Propheta fuit figura Animarum ait *Manſi Bibl. Mor. V. Purgatorium diſc.* 12. *nu.* 6. *Animam quoque purgantem in Iona in Mare præcipitato delineatam invenio Et Gugl. Pepin. apud Solar. Pentat. Mort. l.* 1. *c.* 10. *n.* 15. *Jonas in ventre cæti clamans ad Dominum pro ſua liberatione eſt Anima in Purgatorio exiſtens, quæ clamat ad Dominum, ut liberet eam de anguſtiis ſuis Item Pſalm.* 129. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam; Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, &c.* quæ verba à Genebrardo, Pepino, Novillæo, Titelmanno, Bellarmino; teſte *Lorin. in pſ.* 129. ad Titulum; applicantur Animabus

quod

quod corroborat uſus Fidelium, prædictum pſalmum adhibentium in precibus pro Defunctis. Item Eccleſia variis in locis in officio Defunctorum, quaſi adducit Animas orantes Deum pro ſe. *v.g. Domine ſecundum actum meum noli me judicare, nihil dignum in conſpectu tuo egi, ideo deprecor majeſtatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam:* & ſimilia habet in Agenda mortuorum ex variis ſcripturæ locis, & præcipuè ex *pſalm.* 50. *Miſerere mei Deus, &c.* qui pſalmus cum aliis hùc conducétibus applicatur Animabus dd. cc. item S. *Birgitta in revel. l.* 4. *cap.* 7. *Poſt hæc de Purgatorio audiebantur multæ voces dicentes. O Domine Jeſu Chriſte Judex juſte, mitte charitatem tuam his, qui ſpiritualiter poteſtatem habent in mundo, tunc plus participare poterimus, quam nunc de eorum cantu, lectione, & oblatione. teſte Solar. cit.*

38 M. Adſunt nè Doctores ali-

qui

qui hoc tenentes?

M. Alenſis p. 4. q. 26. memb. 3. art. 4. §. 4. in reſol. ait *Orant igitur Animæ in Purgatorio exiſtentes tamquam miſeræ pro ſe tantum.* Leſſius *l. 2. c. 37. dub. 15. n. 23. Orare pro ſe non videtur dubitandum. Layman. p. 2. l. 4. c. 1. nu. 5. Certum eſſe debet, quod Animæ in Purgatorio orent Deũ pro ſe ipſis. Suarez. de Relig. p. 2. l. 1. c. 1. n. 14. Si aliquid decens petant, dignæ ſunt exaudiri. Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 2. p. 6. Tertio aſſero Animas Purgatorii pro ſe quidem orare. Bonacc. de hor. canon. diſp. 1. q. 2. p. 1. n. 8. Conſequenter Deum orare poſſunt, ut fideles excitent ad hujuſmodi remedia ferenda. Beccan. in de or. q. 3. p. 6. concl. 5. Animæ exiſtentes in Purgatorio propriè orant pro ſe. Sporer. natione Gallus Theol. mor. p. 1. tr. 2. c. 7. ſec. 2. §. 2. nu. 17. Denique de Animabus Purgatorii certum eſt eas orare pro ſe ipſis pro liberatione à pœnis.*

39 *D.* Sole clariores ſunt Au-ctoritates iſtæ. Habes nè quoque rationes ad probandum, quòd Animæ illæ orent Deum pro ſe?

M. Fortiſſima probatio deſumitur ex toto *cap.* 2. de requiſitis ad Orationem. Animæ enim Purgatorii ad eliciendum actum Orationis ad Deum pro ſe nullum inveniunt impedimentum in nullo ex requiſitis ad orationem. Nullum quidem ex parte Orantis, nã cognoſcunt Deum poſſe, & judicare poſſunt Deum etiam velle eas adjuvare, inſuper cognoſcunt Gloriam æternam ſibi deficere, convenire, & poſſibilem eſſe, & conſequenter illam deſiderare poſſunt, ac ſperare. Deſiderium autem æternæ gloriæ non ſolum Deo explicare, ſed explicare per modum obſequii valent, & inſuper ſunt in ſtatu gratiæ. Nullum inquam impedimentum ex parte Dei. Nonnè in eo eſt poteſtas, & volitio eas adiuvandi, cognitio

in-

inſuper earum neceſſitatis, & petitionis? Igitur ſi nihil impedit Animabus illis orare, quare non orant? Si quis neceſſitatem haberet epiſtolam ſcribendi, omniaque requiſita ad ſcribendum haberet, quomodo volens ſcribere, non ſcriberet? ergo Animæ illæ, quando volunt orare, vere orant; quod ſi aliquem volunt orare, certe Deum; & ſi volunt orare Deum pro aliquo; certiſſime pro ſe, ut poſtulat ordinata charitas.

40. *D.* Immò hic mea verſatur difficultas, videlicet eas nec poſſe orare, nec velle orare. Nonnè dixiſti, quod ille, qui debet velle orare, debet judicare Poſtulatum habere volitionem conferendi petenda? Animæ illæ non poſſunt hoc judicium facere de Deo; nam ſciunt Deum velle eas punire uſque ad ultimum quadrantem, ideoque nullo modo poſſunt orare. Sed neque volunt, cum enim ſint juſtæ, ac uniformes

Dei

Dei voluntati, volunt quidquid uult Deus, igitur cum Deus velit eas ſatisfacere per ſatisfactionẽ, nõ poſſunt nolle pati, & per conſequens orare ad non ſatisfaciendum.

41. *M.* Argumentũ iſtud, quod videtur Achillinum, nullius eſt roboris. Dic mihi cariſſime, unde ſcis, quod Deus velit liberare de Purgatorio Animã Patris, vel Matris tuæ? Equidem tibi prorſus ignotum eſt. Quare ergo non deſiſtis oratione non ſolum tua, ſed etiam Eccleſiæ precari Deum pro illius Animę liberatione? Reſpondebis optime; quia in oratione mea pro defuncti liberatione Intelligitur ſemper conditio; *Si Deo liberatio placeat*. Ergo pariter Animæ purgantes, quamvis ſciant Deum velle eas pati, poſſunt eum orare pro ſe tacita conditione, ſi Deo placeat condonare. Sunt quidem uniformes divinæ voluntati, ſed pariforn iter

Iu-

Iuſti viatores divinis uniformantur Decretis: attamen affligente nos Deo gravioribus calamitatibus peſtis, famis, Belli, pluviæ, ſerenitatis, &c. privata, publicaque oratione Deum efflagitamus, ut ceſſet plaga. Quo Eccleſiæ dogmate? Quia ex pluribus Sacræ Scripturæ locis docet Catholica Eccleſia, quod Deus multa decrevit conditionatè; ideſt, Decretum facit de aliqua pęna irroganda, vel proroganda, niſi accedat pænantium oratio; & quidem ſæpius videmus accedente oratione enſem divinum in vaginam redire. Ergo Animæ in Purgatorio ſciunt Deum facere talia decreta conditionata, ideoque orant, ut ſi forte ſuum decretum eſt conditionatum; poſita orationis cōditione ſubleventur, aut liberentur.

42. *D.* Rationem alteram libenter audirem.

M. Audi. Actus Orationis non

eſt

eſt maioris excellentiæ, quam ſit actus Virtutum Theologalium Fidei, ſpei, & charitatis; quia eſt actus Virtutis Religionis; ſed Animæ illæ eliciunt actus ſpei, & charitatis, quia ſibi futuram gloriam ſperāt, & Deum amant, ergo cum volunt, elicere poſſunt etiam actus orationis, & ſi ad aliquem dirigunt ſuam orationem, equidem ad Deum, & ſi pro aliquo; ſine dubio pro ſe.

43. *D.* Invincibilis eſſet iſta ratio, ut opinor; ſi certum eſſet, quòd Animæ illæ exirent in actus ſpei, & charitatis; ſed valdè dubito de hoc; nam licet habeāt has virtutes in habitu, ſeu habitualiter; tamen videtur, quòd non poſſint elicere virtutum actus. quia taliter abſorbentur à vehementia pœnæ, quòd ſemper dolores ſuos cogitant; ſi enim hoc experimur in Nobis, qui cum exceſſiva pœna affligimur, alia conſiderare non poſſumus, quanto ma-

gis Purgantes, quorum minima pæna eſt major, quam quidquid in hac vita poteſt ſuſtineri, ut ait S. Auguſtinus.

44. *M.* Deſumpſiſti argumentum ab iis, quæ facit Doctor irrefragabilis; quare cum eo reſpondeo ad auctoritatem S. Auguſtini, cui ipſe Alenſis *loc. cit. art.* 5. §. 1. *in fine ſic ait: Sine præjudicio tamen opinando dico, quod multæ ſunt Animæ in Purgatorio, quæ non affliguntur illa vehementi afflictione, de qua loquitur Auguſtinus.* Sed inſtantiæ tuæ facilè reſpondetur. Etſi enim concederetur, quòd in Purgatorio minima pæna eſſet major quacumque pæna hujus vitæ; attamen conſtantiſſimè negatur, quòd vehementia doloris taliter abſorbeat eas, ut ad nihil aliud, quam ad dolorem ſuum attendere valeant. Nonnè cum per ſuffragia ſublevantur intelligunt refrigerium? producunt nè tunc actum dilectio

ctionis erga refrigerantes? Utique, ergo vehementia pænæ non impedit eas, quin faciant actus intellectus, & voluntatis erga aliquid aliud diverſum à pæna. Tanto mágis hoc clarum videtur, quia refrigerium eſt obiectum bonum cauſans gaudium; pæna vero eſt obiectum malum cauſans dolorem; ideòque non ſolum ſunt obiecta diverſa, ſed oppoſita; & tamen vehementia pænæ minimè eas impedit attendere ad refrigerium; igitur ſi non impedit attendere ad obiectum oppoſitum; multo minus impedit earum intellectum, & voluntatem, quin poſſint tendere in Deum eliciendo actum ſpei, & charitatis, & orationis. Tu per ſuffragia refrigeras Animam: Anima ſentiens refrigerium amat te? Faciet ergo actum Amoris erga te non obſtante ſuo ſummo dolore; & dolor ille obſtabit, quòd non eliciat actum Amoris Dei? igitur vehemen-

mentia pænæ non impedit Animabus actus charitatis, ergò neque orationis actus, qui ſunt virtutis minus excellentis, utpote virtutis Religionis.

45. *D.* Utique; quod Anima ſuffragata non ſentiat refrigerium; non cogitet refrigerantem ſaltem in genere; & erga eum nõ faciat actum dilectionis, non eſſet dicendum. Aliàs arderent in illo igne, ſicut Statuæ, ſi non itelligerent refrigerium; & ingratiſſimę eſſent, ſi non amarent refrigerantem. Si ergo intelligunt, & reſpectivè amant obiectum diverſum à pæna, certè quòd vehementia doloris non impediet eas attendere orationi.

46. *M.* Ex alio etiam capite demonſtratur hoc. Nonnè Anima in Purgatorio poteſt uti potentia loco motiva intra tamen carcerem Purgatorii non obſtante Vehementia penę? ergò à fortiori poteſt uti potentia Intellectiva,

&

& volitiva. Item iſta vehemens pæna abſorbēs Animas, vel eſt pęna damni, vel ſenſus, vel utraque; ſed non poteſt eſſe pęna damni, quia tali pænę ſubiecti erant etiā Patres in Limbo, & tamen orabāt 2. *Mach.* 12. ſed nec pæna ſenſus, quia maiori vehementia abſorberetur Anima à lætitia, utpote ſibi connaturali, quam à dolore, utpote contra inclinationem Naturalem, & tamen Sancti in Cęlo à vehementiſſima illa lætitia non ita abſorbentur, ut non orent. Non tandem Utraque pæna damni, & ſenſus ſimul; quia damnati in Inferno à vehementiſſima illa pęna non ita abſorbentur, ut nō eliciant actum deſperationis, & Odii Dei; ergo ab oppoſito; divini amoris, & Sanctæ ſpei actus poſſunt facere Purgantes non obſtante pœna damni, & ſenſus, & per cōſequēs etiā actus orationis.

47. *D.* ſed quid dicis ad paritatem? Equidem nos Viatores cū

val-

valde dolemus, ad alia applicare non poſſumus.

M. Non eſt pariter diſcurrendum de Nobis, & de Animabus illis. Duæ ſunt Cauſæ, una phyſica, & una Moralis propter quas vehemens dolor nos ita diſtrahit, & abſorbet, ut alteri obiecto nō attendāus. Cauſa phyſica eſt Impedimentum organorum, ut notavit *Bellarm. de Purg. l. 2. c. 15. dicens; Iſta in Nobis accidunt ratione corporalium organorum*. Nam Malum cauſans dolorem alterat ſpiritus Organicos exteriores, & interiores tam vehementer, quòd Anima non poteſt eis uti ad libitū ſicuti poſſet, ſi eſset in ſtatu proportionato ad ītellectionē, & volitionem: cum ergò exiſtēs in Corpore non poſſit agere niſi Mediis organis, ideo eis alteratis non poteſt eis uti ad attēdendum ad diverſa obiecta. Cauſa Moralis eſt Amor ſui. Homo enim ſibi compati aſſuetus, & hanc Naturalē inclinationem,

nem, ac paſſionem non ſolitus domare: occurrente vehemente dolore rapitur (ut ita dicam] à concupiſcentia, cõpaſſione ſui ad cõtemplandos ſuos dolores, & vix aliud. Non ſic vir Sanctus non ſic. Iuſtus qui odit animam ſuã in hoc mũdo, ut in vitam æternam cuſtodiat eã, quocumque cruciatus dolore, non ſolum ſe Deo commendat, ſed ad divina, & humana attendit, licet fortè minus perfectè, ſeu minori conatu potentiarum, quam prius. S. Stephanus in lapidatione orat *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum Act. Ap. 7. 59.* S. Laurentius in Craticula inſultat Tyranno. *Aſſatum eſt, jam verſa, & manduca Brev. Rom.* 10. *Aug.* S. Andreas in Cruce *hortabatur populos*; ut in ejus vita. Et hoc paſſim in Martyribus, Sanctiſque Confeſſoribus, ac Virginibus. inde *Bellarm. de Purgat. l. 2. c. 15. Dolor Animabus nullo modo perturbat judicium rationis, nec im-*

impedit affectum bonum voluntatis. Igitur cum Animę Purgatorii careant organis, & polleant ſanctitate, non habent cauſam phyſicam, nec moralem in illa vehementi pœna eas, ſicuti nos, impedientem, quin poſſint ad alia obiecta divertere, itaut erga illa eliciant actus intellectus, & voluntatis, de quorum numero eſt Oratio.

48 *D.* Quietat penitus reſponſio anxietatem meam.

M. Adde tandem aliam rationem. Si vehementia pœnæ non impedit eas gaudere, quomodo impedit eas orare? certè gaudium non poteſt excitari, niſi ab attentione intellectus ad obiectum diverſum à pœna; & tamen duodecim gaudia ponit in illis animabus *S. Bernardin. Sen.* ac ſuper illud miſericordiam, & judicium cantabo, concludit; *Nam Animæ poſitæ in Purgatorio licet torqueantur, tamen cantant;*

&

& plangunt. tom. 4. *ſer.* 15. *Extravag.*, *& tom.* 2. *ſerm* 63. *c.* 1. ergo vehementia pœnæ non taliter abſorbet eas, quòd nonſolum ad alia attendant, ſed *quod mirabile eſt*, ait *S. Bernard. ll. cc.* attendant ad alia obiecta, per quę inter tot pœnas pululent eis tot gaudia: ergo multo magis attendere poterunt Orationi, qua releventur à tantis pœnis.

CAPUT SEXTUM.

Objectiones ex parte Animarum ſolvuntur.

49 D. SUper aſſerta propoſitione, quòd Animæ Purgatorii orent Deum pro ſe, difficultates habeo ex parte Animarum, & difficultates ex parte Dei.

50 *M.* Ne in confuſione illas tractemus, propone prius eas, quæ tuam pungunt mentem ex parte Animarum.

51 *D.* Mihi validiſſima videtur

illa oppoſitio, quam habent Animæ, ex eo, quod non poſſunt amplius mereri. Si enim pro ſe orarent, poſſent etiam pro ſe impetrare. Si enim ſpes impetrandi non eſſet, ad quid orare? Si verò pro ſe poſſent impetrare, hoc mererentur, & eſſent in ſtatu merendi, quod nullo modo eſt admittendum.

52 *M.* Nota, ſi difficultas hæc ſit validiſſima, ut eam nominaſti. Tres habet reſponſiones. Prima. Reſponſio eſt, quòd ad impetrandum non eſt neceſſarium ſtatus meriti, ideòque Animæ illæ licet orando non mererentur, nihilominus poſſunt impetrare; ita *Suarez. de Relig. tom. 2. lib. 1. de or. c. 11. n. 14. licet* (Animæ Purgatorii) *non ſint in ſtatu merendi hoc neceſſarium non eſt ad impetrationem Orationis* ita *Layman. p. 2. l. 4. c. 1. n. 15. licet non ſint* [Animæ Purgatorii) *in ſtatu merendi, is tamen ad orandum, & impetrandum*

dum

dum non requiritur, *ſicut teſtatur ipſe S. Thom art.* 16. *ad* 2. Secunda reſponſio eſt. quòd ad impetrandum requiritur quidem meritum, ſed neceſſe non eſt, quòd meritum ſit de præſenti, ſufficit quòd ſit præteritum. Quare veteranus miles à labore belli dimiſſus à Rege gratias non impetrabit, non merito armorum quibus vale dixit; ſed merito, quo ſtrenue pluribus in caſtris de præterito dimicavit? Pariter Animæ Purgatorii vale dixerunt vitæ hominis, quæ eſt militia ſuper terram, & in inferis poſitæ nil agere poſſunt, undè mereantur; ſed quare ex merito acquiſito ex pugna, & victoria inimicorum ſpiritualium ad honorem, & glòriam æterni Regis, Regem ſuum exorare, & ab eo aliquid impetrare nequibunt? Sanè hæc habet *Gerſ. ſer.* 1. *de Defun. apud Manſi Bibl. mor. V. Purg. diſc.* 6. *nu.* 7. *Licet non per meritum novum* (impetrent)

tamen erit per præcedentia merita. *Et Bellarm. de Pur. l.* 2. *cap.* 20. in fine loquens de Beatis. *Non poſſe mereri, nec ſibi, nec aliis; tamen ex meritis præcedentibus poſſe impetrare, & ſibi, & aliis*. Tertia Reſponſio eſt. quod hoc vocabulũ *Meritum* poteſt ſignificare meritũ glorificativum, & meritũ impetrativũ. Meritum glorificatiuũ eſt illud, quod ineſt operi bono in ordine ad ęternã gloriã; Meritũ impetratiuũ eſt illud, quod ineſt in ordine ad obtinẽdã aliquã gratiam. Ergo Animæ Purgatorii non ſunt in ſtatu meriti glorificativi, ideſt nequeunt aliquam actionem facere, cui pro mercede reſpondeat portio gloriæ; verum enim vero ſunt in ſtatu meriti impetrativi; poſſũt aliquid operari, ideſt Orare, cuius Orationis merito correſpondeat exauditio.

53. *D.* Ergo erunt in ſtatu merendi, & orando merentur.

M. Animas ſeparatas non eſſe

in

in ſtatu meriti per nullam earum actionẽ irrefragabilis veritas eſt. Sed cum Theologi de merito loquuntur, intelligunt de merito ſtricto, & proprie accepto, ideſt de merito, cui correſpondeat pro mercede portio gloriæ; & hoc meritum negant in omnibus Animabus ſeparatis. Quia verò meritum in ordine ad impetrandum eſt analogice meritum, ideo de hoc non tractant loquendo de merito. Non eſt tamen, quin illud admittant in oratione Beatorum, quod nos explicamus etiam in Animabus purgantibus dicendo, quòd ſunt in ſtatu merendi impetrativè, ideſt valet earum oratio ad impetrandum.

54. *D.* Optimè; ſed aliam audi difficultatem. Si Anima exiſtens in Purgatorio orare pro ſe, & impetrare poſſet. ergo poſſet ſe adiuvare, ſibique auxiliũ ferre, ſed quod idem eſt; poſſet ſibi ipſi ſuffragari, & non ſolum ſibi;

ſed una Anima poſſet ſuffragari alteri: quod prorſus videtur inauditum.

55. *M.* Inauditum prorſus eſt, quod Anima in Purgatorio poſſit oratione auxilium ſibi ferre per modum ſatisfactionis, vel meriti; ideſt quòd ejus oratio acceptetur a Deo in ſatisfactionē pœnarum debitarum, vel ad meritum majoris gloriæ: Sed hoc non impedit, quia poſſit acceptari impetratoriè, ideſt propter ejus orationem miſericorditer alleviando pænas; vel accelerando liberationem Animę orantis, vel alterius, pro qua illa oraret. In Purgatorio extincta eſt omnis vis meritoria, & ſatisfactoria, quæ oriatur à propriis illarum Animarum actionibus; Non tamen amiſſa eſt vis, & dignitas impetratoria; quæ eſt indiſpenſabilis, & individua comes gratiæ ſanctificantis, itaut in illo, in quo eſt iſta gratia, ſemper ſit illa dignitas impetratoria. Si

ſic

ſic in nobis miſerrimis viatoribus, qui hanc gratiam Dei tam malè tractamus, quanto magis in animabus, quæ in hac gratia ſunt irrevocabiliter confirmatæ?

56. *D.* Ita; ſed ſi ſibi, & ſibi invicem ſuffragari poſſent, ſequeretur, quòd ſuffragiis viventium minus indigerent.

57. *M.* Falſa eſt hæc ſequela. Animæ illæ ſemper indiguerunt, & indigent viatoribus, ſicut diſpoſuit Deus à principio Purgatorii eas à viventibus adiuvari; quamvis ergo diſpoſuerit Deus, eas poſſe impetrare pro ſe, & invicem, non minus indigent nobis, quã ſemper indiguerint. Nonnè Angeli, & Beati pro Animabus orant?ergo minùs nobis indigent? Minimè. Sed quia Deus diſpoſuit à principio non ſolum viatores, ſed etiam comprehenſores poſſe orare pro eis; ideo licet orent Beati, non minus indigent viventibus, ſicut diſpoſuit Deus

eas viventibus indigere; Ergò licet poſſent orare pro ſe, non minus indigent ſuffragiis illis viventium, quibus ſtatuit Deus eas per viventes auxiliari. Attende. Eccleſia non docet Animas ſublevari à viatoribus privativè quoad omnes alios, alias excluderetur Beatorum interceſſio, & Dei liberalitas; igitur admiſſa earum oratione pro ſeipſis, nil minus indigent nobis, ac eas indigere decretum fuit à Deo. Obſerva nos viatores; Certum eſt poſſe nos viventes orare pro nobis, ergo minus indigemus oratione Beatorũ? Abſit. Sed eis indigemus, ſicut diſpoſuit Deus unum membrum per alia membra adiuvari; ergo licet Animæ illę admittantur orare pro ſe, non minus indigent vivis, ſicut diſpoſuit Deus eas adiuvari à vivis. Vide alia num. 100.

58. *D.* Si non hoc, ſequeretur ſaltem eas poſſe per proprias actiones minus pati, & non ſatispati,

ti, ut debent Animæ illæ.

59. *M.* Neque hoc ſequitur. Quia paterentur, quantum decrevit Deus illas pati, poſita earum oratione; & ſic non eſſet minus pati, ſed pati ad illud ſatis, quod decreviſſet Deus; Nec animabus illis prohibetur propria actio, quę ſit oratio; ſeu agere pro ſe, quod eſt orare pro ſe: ſed ęis interdicitur omnis actio, quæ ſit ſatisfactio pænæ, vel meritum gloriæ.

60. *D.* Explana quęſo hanc meam aliam difficultatem. A. S. Niſſeno dicitur quod oratio eſt converſatio, atque ſermocinatio cum Deo. Nonnè Animæ illæ ſuſtinent pænam damni? Nonnè per hanc pænam privantur Dei fruitione, & colloquio? quomodo ergo ad Deum poſſunt accedere, & cum eo ſermocinari; quod juxta Sanctum Niſſenum eſt orare? Equidem qui propter culpam privatur præſentia Amici; cum alloqui nequit, ita Animæ

cum ob culpas longe ſint ab aſpe-ctu, & conſuetudine Dei, cum eo converſari, & ſermocinari oratione non poterunt.

61. *M.* Quòd Animæ Purgatorii ſint à Deo abſentes, ſi intelligatur, eas abſentes eſſe à Paradiſo, & à Deo beatificante, verum hoc eſt: ſi verò intelligatur eas in Purgatorio longe eſſe à Deo, tamquam converſante, ſeu audiente orationem, negamus hoc. Pœna damni privat præſentia Beatifica, non præſentia orationis. Privatio beatitudinis non impedit orationem, ut ſole clarius eſt, in viatoribus, non impedit, inquam converſare, & ſermocinari cum Deo, nec ipſis Animabus. *Suarez de Relig. p. 2. l. 1. c. 1. n. 13. Profectò de oratione, ut dicit aſcenſum mentis in Deum, & comprehendit perfectam contemplationem dubitandum non eſt, quia Animæ illæ perfectiſſimè orent, & ſint in altiſſima contempla-*

tione. Non enim ad orationem neceſſaria eſt viſio beatifica, nec aſcenſus ad Paradiſum. *Nam ait Eccl.* 35. 2. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedet donec Altiſſimus acquieſcat. & S. Aug. Serm.* 216. *de temp. licet enim alta ſit terra, altum Cælum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habet conſcientiam.* Nec quadrat adductum exemplum Amici; quia Amicus abſens eſt à loco realiter diſtans. Deus autem immenſus eſt intimè, ac realiter Animabus præſens non ſolum per gratiam, ſed per intimam præſentiam eſſentiæ ſuæ, quæ utique replet orbem terrarum. Velatur quidem pænātibus illis, ſed numquid ex hoc neſciunt ibi Deum eſſe? Si privatio videndi Amicum impedit eum deprecari, cave ergo ne lumen oculorum amittas, tunc enim non poteris amplius amicos tuos alloqui, aut exorare.

62. *D.* Sit ita, ut dicis, & perſua-

ſuaſum habeo, quòd valeant orare; ego verò dubito, quòd etiamſi poſſent, orare nollent. Ratio eſt, quia certum eſt Animas illas clariſsimè cognoſcere proprias maculas, nā ad eas purgandas ipſę cruciantur; qua fronte igitur audent ad Deum accedere colloquendo cum eo? quomodo non erubeſcunt? Veretur quidem ingratus accedere, quin etiam ſe abſcondit Reus. Credo igitur quòd tali erubeſcentia perfundantur, quod etiamſi valerent, nollent orare, tanto magis, quod ait S. *Geltr. l. 5. de div. Iuſt. c. 8. quod ſi liber ad Cælum acceſſus ejs pateret, ſponte ſe ab ejus aſpectu ſubtraherent, quod ſciant ſe tam glorioſo ſponſo non convenire.*

63. *M.* Ante reſponſionem, quaſi per digreſſionem, audiamus *Ariſtot. l. 2. Reth. c. 9. Nemo eum, quem metuit diligit*, igitur ſi Animæ illæ perfectè diligunt Deum, equi-

equidem illum nõ metuunt. *Cap. vero 11. Metus eſt ægritudo quædam, & perturbatio ex opinione impendentis mali.* Ubi Majorag. Cõment. *tantum abeſt, ut præterita mala timeamus, ut etiam ex eorum recordatione jucundemur, quæ vero præſentia ſunt, non metum inducunt, ſed mærorem*, quæ futura mala timenda ſunt Animabus expectantibus omne bonum in Paradiſo? Nullam ergo habent timoris cauſam. Et licet Ariſtoteles ibidem dicat: *Metuendos qui injuriam acceperunt*, tamen intelligitur, niſi ex animo pacati ſunt; unde ſubdit, *eos à quibus nihil mali expectamus, non timemus*, quare ergo fugient à facie Domini, ſicut Jonas, & abſcondent ſe, ſicut Adam? Accepit ab eis quidem Deus culparum iniurias, ſed non ſolum pacatus eſt ex animo, ſed tali animo, ut confirmaverit eas in gratia ſua. Si tales homines non timemus, utpote à quibus nihil ma-

li

li expectamus, licet fingere nobis poſſint ſuam reconciliationem; quomodò Animabus timẽdus Deus, itaut ad eum nolint accedere, quem ſciunt certè reſtituiſſe eis amicitiam ſuam abſque minimæ fictionis periculo? clarius verò idem *Ariſt. c. 15. de verecundia*, *quæ eſt una ex filiabus timoris*, *Verecundia eſt quædam ægritudo, perturbatioque in eis malis, quæ ignominiam facere videntur:* ubi commentator *cap. 16. ait: neque enim qui verecundatur, aliud timet niſi ut bonam famam, atque exiſtimationem amittat, non ut aliquid aliud incomodum accipiat*. Sunt ergo Animæ illæ de propria fama apud Deum ſollicitæ. igitur in eis ex qua parte Timor, & Verecundia? Sed hæc viſa ſint lumine philoſophico, nunc ad tuam difficultatẽ venio perſpectam lumine Theologico. Concedo, quod Animæ in Purgatorio ſunt luentes pœnas, & purificantes maculas; Sed nego

go quòd hoc ipſis impediat ſupplicare Deum vel ob timorem, vel ob erubeſcentiam. Timor ille non eſt ſervilis, quo per vim; ſed eſt filialis, quo patienter, quin & hilariter ſuſtinent inflictas pænas Animæ illæ amicæ Dei; Amicitia enim perfecta Dei, ſeu *perfecta charitas foras mittit timorem* 1. *Ioan.* 4. 18. Timor verò filialis, & amicabilis parit confidentiam. *Ariſtot. ibid. c.* 13. *Confidentia eſt ſi qui habent facultatem nocendi nobis amici ſint*, ideoque, quia non timent timore fugitivo, ſed fiduciali accedunt ad Deum oratione, ſperantes à tam benigno Patre ſe miſericordiam conſecuturas. Pariter dicendum eſt de erubeſcentia. Alia enim eſt erubeſcentia, quæ ab amore ſui, alia que ab amore Dei procedit. Illa erubeſcit magis ob pænas, quam ob culpas; quia cum amor ſui appetat exiſtimationem propriam, erubeſcit de omnibus miſeriis:
ut-

utpote deſtructivis propriæ exiſtimationis. Iſta verò magis erubeſcit minimam habere culpam, quam omnes pati imaginabiles pænas. Ratio eſt; quia cum culpa ſit offenſa Dei, & omnis pæna ſit reordinativa culpæ, Anima diligit pænas, erubeſcit propter culpas; exquo ſequitur, quòd cum culpa in Animabus Purgatorii ſit remiſſa, nullam virtuoſam erubeſcentiam debent habere, quin gloriari, & delectari de illis pænis, ut de Bono reordinante culpas, & ideo non propter hoc retrahi ab oratione Dei. Si cognitio propriæ miſeriæ ex culpis preteritis contractæ, atque afflictio paſſa propter peccata impedit orare; Quis inter viatores has magis habet, quam Sancti Pænitentes? dicant ergo illi, qua fronte orant? Quare ob erubeſcentiam, & timorem non ſe retrahunt à Deo orando? Nonne multi uſque ad contemplationem, ac intimam unio-

unionem Dei pervenerunt? igitur quanto magis Animæ Purgatorii ſunt miſeræ, tanto magis debent accedere ad eum, qui uno verbo poteſt flammas eorum extinguere, & à reatibus cunctis abſolvere. Ad auctoritatē S. Geltrudis dico; quòd Animæ illæ verentur accedere ad Deum ad aliquid deguſtandum, ut docet Alenſis *l. c.*, cum hoc non ſit reordinare, ſed deordinare culpas; non verò quòd non accedāt ad orandum. Patet mens S. Geltrudis ex ipſis eius verbis *in cit. Si liber acceſſus in Cælis eis pateret*. Equidem non abſolutæ à reatibus, nollent ultimo frui Bono, quia hoc in inquinata Anima inordinatum foret; non autem ultimo Bono adhærere oratione ad eum exorandum.

64. *D.* Si orant pro ſe, utique ad tollendas proprias pænas, ſed tollere pænas debitas eſt inordinatum; ergo non poſſunt velle orare pro ſe. 65. *M.*

65. *M.* Reſpondeo, quod orant conditionate, ſaltem implicitè, ideſt *ſi Deo placeat, vel ſi Deus ad hanc liberationem decreverit Animæ illius Orationem*; & ita ſi Deus ſic decreverit, tunc orare non eſt aliquid inordinatum; ſed potius inordinatū eſſet nō orare.

66. *D.* Adhuc tuis nequeo acquieſcere ſolutionibus. Nam memini, me audiviſſe decretum eſſe; ut per ſe ſolvant uſque ad Noviſſimū minutū ex *Luc.* 12. *v. ult.* igitur cū Animæ illæ ſint perfectè conformes voluntati Divinæ, non poſſunt velle exire de Purgatorio niſi reddito ultimo quadrante.

67. *M.* Carpe librum Evangelij ſecundū Lucam, & vide *ſi loco cit.*, *ſit illa particula per ſe*. *Hęc ſunt verba*. *dico tibi non exiès inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas*. igitur Statutū eſt, ut reddāt uſque ad ultimum minutū vel per ſe, vel aliundè. Nonnè poſſunt adiuvari à viatoribus, & Beatis?

Non

Non eſt ergo decretũ, ut ſatisfaciant *perſe*. At quia de Divino decreto mentionẽ feciſti, audias attente, quomodo Animarũ conformitas cum voluntate Divina non impediat Animabus Orare pro ſe. Voluntas Dei fit decretum de aliqua pæna, qua ordinarie eſt cõditionata, hac cõditione niſi acceſſerit ratio, vel eorum qui ſunt puniẽdi, vel aliorum pro eis [excipe Infernũ, & pueros in Lymbo], quę eſt ratio, qua orant Sancti in Cælo, & viatores in Terra pro malis amovendis. Accipe exempla. Decretum de multiplici propagatione ſeminis Abrahæ per Iſaac, quin de Meſſia naſcituro per eum, fuit ne abſolutum? quare igitur ad habendos filios Iſaac non ſolũ oravit; *immo viginti annis perſeveravit orans, & deprecans Deum, & tunc tandem aſſecutus eſt quod deſiderabat?* ut notavit *S. Ioan. Chriſoſt. hom.* 49. *in Geneſ.* Decretum de Incarnatione Verbi

fuit

fuit ne abſolutum? quare ergo SS. Patres rogabant pro acceleratione? *Emitte Agnum Domine Dominatorem Terræ. Iſa. 16. 1. Mitte quem Miſſurus es. Exod. 4. 13.* Decretum de Iudicio finali, & de Reſurrectione mortuorum eſt ne abſolutum? quare ergo Sãcti in Cęlo poſſunt orare pro Reſurrectione proprii Corporis, ut ait *Bellarm. l. 2. de Purg. c.* 20. in fine, quin ipſe Chriſtus ait *Matt.* 24. 22. *Niſi breviati fuiſſent dies illi .... breviabuntur propter electos*? quare? quia Divinum Decretum etiam abſolutum, quoad ſubſtantiam, poteſt eſſe conditionatum quoad circumſtãtiam v. g. temporis, loci, &c. En igitur quomodò orare non eſt ſe opponere Divinę voluntati, & qualiter Animæ Purgatorii, etiamſi ſint perfectè conformes voluntati Divinæ, nihilominus poſſunt velle orare: nam numquã petunt quod nõ faciat quidquid facere decrevit;

vit, ſed conſiderantes pęnas ſuas, & miſericordiam Dei, petunt, quòd ſi ſibi placuerit, citius liberentur, ſub hac enim conditione orare nullatenus perfectę uniformitati contradicit, non enim ſciunt, utrum velit miſereri Deus, quis enim ſcit, *Si convertatur, & relinquat poſt ſe benedictionē. Joel. 2*

68. *D.* Planè intelligo dari divina Decreta conditionata; Sed arbitror hęc tantum debere admitti circa viatores. Ceterum circa Purgantes Decretum puto ſemper eſse abſolutum; quia ipſis ſatisfaciendum eſt *uſque ad ultimum quadrantem*.

69. *M.* Nō ita; ſed conditionata decreta etiam in Purgatorio admittenda ſunt. ſi ſublevatio pænarum illarum abſolutè & indiſpenſabilitèr deberet haberi per viam ſatisfactoriam; quare ergo pro eis rogant Beati? equidem Beatorum Oratio non ſatiſfactoria; ſed eſt tantum impe-

petratoria; igitur poſſunt ſublevari etiam per viam impetrationis. Deiparam Virginem impetrare Animarum liberationem lege *in Breu. lect. 2. noct. in Feſto S. Mariæ de Carmelo*, ubi de adſcriptis ad Carmelum ait, *dum igne Purgatorij expiantur ſolari, ac ĩ Cæleſtem Patriam obtentu ſuo quantocyus piè creditur efferre*. Lege Gerſonẽ ſuper Magnif. *Piè creditur Dei privilegio in Virginis Aſſumptione evacuatum fuiſſe Purgatorium & Manſi V. Purgatorium diſc. 9. n. 3. Credibile eſt in eodẽ Virginis Feſto multas Animas per merita intercesſionis adeo potentis a Beata Vergine*. *Lege S. Petrum Damian. l. 3. ep. 10. ap. Manſi ibid.* ubi refert Animam die Aſſumptionis apparuiſſe Romæ in Ara Cœli, & dixiſſe. *Tanta multitudo per interventionem eius* [Deiparæ] *hodie eſt de tormentis erepta, ut numerum totius Romanæ plebis excedat*. ergo decretum de pœnis
Ani-

Animarum non ſolum admittit viam ſatisfactivam, ſed viam impetrativam.

69. *D.* Vtique, ſed non ipſius Animę Purgantis. Diceré etenim Decretum de pænis Animarum poſſe quidem eſſe conditionatum conditione *niſi acceſſerit oratio;* ſed privativè quoad Animas; ita ut poſſint eas ivvare Orationes omnium aliorum Valentium orare, non tamen Orationes Animarum pro ſe ipſis. Ratio. quia ſi Oratio Viatorum non prodeſt illi Animæ, cui applicatur, prodeſt alteri, vel certe operanti ex *pſ.* 34. 13. *oratio in ſinu meo convertetur.* Oratio vero Animæ Purgantis ſi ad impetrationem non acceptatur, ad nihil inſerviet nec ſibi, nec aliis.

70. *M.* Sancti non ſemper vident eventum orationū ſuarum, ita *Suarez de Relig. l.* 1. *c.* 11. *n.*6. & tamen cum cognoſcunt invocationem noſtram, orant Deum

pro nobis: quia licèt fortè eos nõ ſit Deus exauditurus, *non fruſtra intercedent, quia ſaltem exercebunt actum Religionis, & charitatis, & fortàſſe in ordine ad univerſalem providentiam Dei, & magis ad oſtendendum eius juſtitiam poterit talis oratio habere aliquam utilitatem*, ita etiamſi Deus aliquando non exaudiret Animam pro ſe ipſa orantem, non ideò erit eius oratio inutilis, quia ad omnes fines ſupradictos à Suarez de oratione Beatorum, non exaudita, utilis erit, & inſuper quòd ſi Deus non acceptat orationem talis Animæ pro ea, forſan acceptabit pro alia, vel pro aliquo viatore de illa Anima benemerito. Addo, quòd Animæ adhuc orarent propter gloriam, quæ Deo reſultat ex oratione. Verus amicus amat alterum propter ipſum, ideòque Animæ illæ exiſtentes in amicitia perfectiſſima Dei volunt, ſeu optant liberationem propriam princi-

cipaliter propter gloriam Dei; Sed maxima gloria Regis eſt multos habere deprecatores, quanto enim plures ſunt, plures apparent teſtes eius Excellentiæ, ac Potentiæ, igitur Animæ illæ etiam incognita exauditione Deum orarent, quìnimmò orarent etiam, ex honore per orationem oranti reſultāte. Ajunt DD. Myſtici, quòd ſi Deus creaviſſet hominem non immortalem, nec ordinatum ad fruendum Deo; ſed tantum, ut vivens Deo ſerviret, & moriens annihilaretur; Nihilominus homini datus eſſet ſummus honor in ſervitute tam præexcelſæ Majeſtatis, ergo quanto major nobilitas, & honor habere cum Deo intimum conſortium, & colloquium oratione? *Bellou. ſpec. mor. p. 10. l. 3. diſc. 32. Non eſt officium* [oratio] *ruſticanum ut fodere, arare, &c.; ſed eſt officium Filii Dei, & Matris eius, & officium Sanctorũ, & Angelorum*; igi-

tur Animarum oratio non eſſet otioſa, & inutilis, licet orando pro ſe, aliqua ex eis non eſſet exaudienda.

CAPUT SEPTIMUM.

Obiectiones ex parte Judicis ſolutæ.

70. *D.* OPtimè perſuaſiſti nullam eſse repugnantiam, quòd Animæ illæ velint, & poſſint orare pro ſe; attamen alias difficultates habeo ex parte Dei volentis eas punire. Ad obtinendã abſolutionem, licet nulla interveniret repugnantia ex parte Rei delinquentis; ſi verò difficultas ſit ex parte Judicis, gratia non conſequetur.

71. *M.* Profer igitur difficultates ex parte Judicis.

D. Animæ illæ ſi orare poſſent pro ſe: utique ad hoc ut Deus excitaret corda Fidelium viventiũ ad eas ſuffragandas; Sed officium Ju-

Judicis non eſt quærere aliquem, qui ſolvat pro Reo, ſed admittere; cum igitur Dei non ſit quærere ſuffragia, ad quid eum orant, ut ſuffragia quærat?

72. *M.* Nullus ignorat quòd liberum arbitrium nequit ſe excitare ad minimum bonum agendum, ſed ei neceſſaria eſt gratia Dei excitans, docente nos Apoſtolo 1. *ad orat.* 12 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto;* A quo eſt gratia excitans ad ſuffragia? nonne à Deo? Ergo Deus eſt talis Judex, qui non tantũ admittit, ſed qui quærit, qui ſolvat pro Reo. Sollicitavit Deus S. Thereſiam ad fabricam Cænobii faciẽdam, quia poſt hanc conſtructionem liberanda erat Anima Teſtatoris Bernardini Mendozæ, dixitque Virgini *Sollicitare Thereſa, quia Anima illa multum patitur. Franc. a Cruce diſinganni* §. 8. *pag.*447. quare? quia idem Judex eſt, & Pater, ut

Judex vult ſatisfactionem, ut Pater quærit ſatisfacientem.

73. *D.* Benè; ſed Animæ illæ puniuntur ut Reæ, & non ut filię, nec Deus mittit eas in illum carcerem ut Pater, ſed ut Judex *Matt.* 5. *Luc.* 12.

74. *M.* Equidem ponuntur à Deo intra illum carcerẽ, ut Judice, ſed Animæ rogant eum ut Patrem. Brevius. Rogant Deum ſine abſtractione. Oratio enim eſt actio phyſica, quæ terminare debet ad rem, & nõ ad realitatem; v. g. Titius petens ordinari ab Epiſcopo habẽte Principatum ſęcularem, non diſtingueret dicendo. Peto à te ordinari, ut Eccleſiaſticus es, ſed abſolutè diceret, peto à te ordinari; ita Animæ nõ virtualizant, aut formalizant orationem, ſed ſimpliciter petunt alleviationem, ſeu liberationem; & Deus non reſpondet, concedo ut Pater, nego ut Judex, ſi aliquando concedat, aut neget.

Ad-

Addo, quòd utrumque horum faciat; ideſt neget, aut concedat, poteſt facere ut Judex. Nam ſi neget, ſtat ut Judex in ſententiâ prolata; ſi concedat, diſpenſat in lege, quod licet nequeat facere Judex ſubordinatus, aut Delegatus, attamen poteſt Legislator, & Judex ſupremus, qualis eſt Deus. Ad id autem, quod obiicis, quòd carcerat, & punit ut reas ex Evang. Lucæ, & Mathei; dico, quòd carcerat ut reas pænę, non culpæ, & planè ut debitrices. Quare autem piiſſimus, & opulentiſſimus Deus non compatitur debitricibus illis, præcipuè cum tam alacriter ſuum debitum cum inexcogitabili pæna aſſiduè ſolvant? certè Evangelium ſtat potius pro me, quia parabolam aſſumit non de Reo patibulo Judicis addicto, ſed de debitore carcerato ad debita perſolvenda.

75. *D.* Pietatem Dei infinitã eſſe non dubito, ſed ſufficiens

pietas mihi videtur, permittere aliquando animabus illis, ut per ſeipſas apparendo, quærant ſuffragia. Non quidem ad earum orationes, ſed mera ſua pietate, vel ut Auguſtino magis placet, ad orationem earum Cuſtodum Angelorum. Equidem ipſe Deus Judex hæc habet *Matt.* 5. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris; amen dico tibi, non exies, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Et optimè, quia terminata vitæ huius via ceſſat omnis orandi, & operandi facultas *Matt.* 5. 11. *Io.* 9. 4. igitur ſi expleta vita ſtatutū eſt, ut per ſe ſolvant uſque ad noviſſimum minutum *Luc.* 12. *v. ult.* nullo modo valent orare pro ſe.

76. *M.* Examinentur prius duo Evangelici textus, nempè Lucæ, ubi ais decretum eſſe à Chriſto, ut per ſe ſolvant; Alterum Mat.,

&

& Jo. ex quibus deducis, expleta vita ceſſare omnem orandi facultatem. Hæc igitur ſunt verba Lucę. *Dico tibi non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.* Non eſt hic illa particula *per te*, ſeù, *per ſe*. Et optimè, quia noviſſimũ minutum poſſunt reddere per alterius ſatisfactionem, vel orationem ſolum impetrativam, ut eſt illa Beatorum, illud de rigore Juſtitiæ, hoc de largitione miſericordiæ. Pro alia aſſertione; quod expleta vita ceſſet omnis orandi facultas, hæc habet *Matt. c.* 5. 26. *Eſto conſentiens, &c. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. Jo.* 9.4. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, non ait *orare*, quomodo poſt mortem nemo poteſt orare? Nonne Patres in Lymbo orabant, & Beati in Cęlo orant? quinimmo etiam pro ſe. Patres inquam pro adventu Meſſiæ, Beati *pro his, quæ ad acciden-*

talem gloriam ſuam pertinent orare poſſunt, ait *Suarez de Relig. t. 2. c. 11. n. 11.* igitur ſenſus illorũ verborum Evangelii, quòd venit nox, quando nemo poteſt operari, eſt; quòd poſt mortem non ſit poteſtas ad aliquẽ fructum meritorium; non verò quòd non ſit oratio ad fructum impetratorium in Anim... as juſtis. Quid dicam verò ad ea, quæ aſſeris, quòd Deus permittit apparitiones ex ſua tantum pietate, non ad preces Animarum? Opponam tibi unum ſimile. Ad invocationem Beatorum, qui ſunt in Cęlo obtinentur permultę gratię, & varia miracula: ergo Deus donat hęc fieri ex ſua ſolum liberalitate, & non etiam ad orationes Beatorum?

77. *D.* Ita etiam ad orationes Sanctorum, ſed non currit paritas, quia Animæ Purgatorii non ſunt Beatę.

78. *M.* Attende. Beatitudo addit Animæ fruitionem ex viſione,

ne, & non gratiam, ſeu amicitiã Dei; ergo ſi amicitia Dei non ſolum eſt in animabus Beatis, ſed etiam in Purgantibus, ſi confiteris quòd Deus donando aliqua fieri, non tantum concedat ex ſua liberalitate, ſed ad orationẽ Beatorum, ita fateri debes, quòd permittit apparitiones equidem ex ſua pietate, ſed ad orationem animarum. Exemplum. S. Severinus, qui fuit in Purgatorio, teſte B. Petro Damiano, erat ibi cum eiſdem meritis, amicitia Dei, & gradibus gratię, quos habet nunc in Cęlo. Certè quòd nunc poteſt orare, quare tunc non poterat? Forſitan quia nunc eſt Beatus? Sed in Beatitudine non habet majora, ſed eadem merita, & eamdem gratiam in quibus mortuus eſt, & habebat in Purgatorio; ergo ſi per hæc orat impetrativè in Cœlo, potuit impetrativè orare in Purgatorio; ergo Deus quidquid concedit

Animabus Purgatorii, non tam ex liberalitate ſua, quã ad earum preces (ſi eas fuderint) concedit. Adde quòd quando nos iuſti viatores orantes Deum aliquid obtinemus, Nonne Deus non tam ex ſua liberalitate nobis gratias donat, ſed etiam ad noſtras preces? Quo igitur fundamento poteſt negari oratio Animarum in obtinendo, & totum refundi in liberalitatem Dei? Videtur idem dicendum fore de nobis, ac de illis. Abſit autem, quod dicamus Deum nobis concedere quòd petimus non etiam, ad noſtras preces, ergo procul à corde, & ab ore dicere hoc de Animabus, quæ melioris, quam nos, ſunt conditionis.

79. *D.* Aliam habeo anxietatem, videlicet; Si orant pro ſe, certè ad impetrandam Divinam miſericordiam; ſed memini me audiviſſe hanc propoſitionem, ideſt, carcer Purgatorii locus eſt Juſtitiæ, non miſericordiæ, pro

qua

qua aſſertione citatus fuit *Bellar. l.* 1. *c.* 9. *de' Purg. ex Matt. l. c. v.* 26. & *Luc.* 12. 29. ſi igitur eſt locus ſolius juſtitiæ, ad quid Animas oratione implorare Divinam miſericordiam?

80. *M.* Bone Deus! quomodo nulla miſericordia in loco Purgatorii? Nonne fatentur DD. Scholaſtici Deum punire ipſos damnatos citra condignum? Effectus non eſt hic Divinæ miſericordiæ? & miſericordiam penitus abiiciemus à Purgatorio? Ad quid ergo oratio viatorum? *Dices*. Ad ſatisfaciẽdum Juſtitiæ, quia eſt ſatisfactoria: Saltem ad quid orant pro Animabus Angeli, Beati, ac Deipara, quorum orationes non ſunt ſatisfactoriæ, ſed ſolum impetratoriæ? igitur licet Animarum oratio non ſit nec meritoria, nec ſatisfactoria, poteſt miſericordia Dei eam acceptare ad fructũ impetratorium pro ſe ipſis, ſicut certè acceptat ad ſolum eumdem

fru-

fructum impetratorium orationē Beatorum pro Animabus. Auctoritatibus autem reſponſum eſt ſupra *n.* 76.

81. *D.* Nihilominus vix poſsū intelligere, quomodo poſſint, & velint orare Deum, qui tanquam Judex juſtus eas punit rigore Divinæ juſtitiæ. Certe orationes illarum Animarum nullo gaudent merito ſatisfactionis, vel impetrationis. Nam ſi alterum haberent, non ad nos, ſed ad Chriſtū ſuis precibus ſe converterent; & ipſe Chriſtus eas non ad nos, ſed ad ſe orantes ſineret accedere. Quare igitur eas ad nos permittit ſe convertere? Niſi quia nos poſſumus pro eis impetrare, & ſatiſfacere? Ipſe verò ut Judex eas non poteſt orantes exaudire ſalvo toto ſuæ Juſtitiæ rigore. Quiſnam ab alio gratiam poſtulet non dum impetrata venia? Non eſt inauditum quemdam poſtulaſſe gratiam apud Regem aliquem, &

pro

pro gratia reſponſum accepiſſe, Non debere ab irato Judice nondum purgato crimine munus expoſci.

82. *M.* Jam diximus in præambulis, quòd orationes Purgantium licet careant merito ſatisfactorio, non carent merito impetratorio, quia ſunt Amicæ Dei, ſicut viatores, & Beati. Et nunc addo, quòd admiſſo etiam fructu impetratorio orationi Animarũ: non ſequitur, quòd non converterentur ad nos, ſed ad Chriſtum, ſicut quòd Chriſtus permitteret accedere ad ſe, & non ad nos, & dico; quòd convertuntur oratione ad Chriſtum, ad Deiparam, ad Angelos, ad Sanctos, & ad nos; & ad Chriſtum, & Beatos accedunt; non per apparitiones, ſed ſicut accedunt viatores, cum orant. Ad nos autem accedunt, vel moraliter, ideſt per dogmata fidei, quibus credimus eas noſtri indigere; per inſpirationes Ange-

gelorum, per ſomnia Angelica, per verba Prædicatorum, &c. & aliquãdo phyſice per apparitiones propter Dei fines incomprehenſibiles, propter quos eas nobis vult Deus apparere; & non quia non poſſit eas orantes exaudire.

81. *D.* Intelligas ſanè, quando dixi non poſſe eas exaudire; ideſt, ſalvo toto ſuæ Juſtitiæ rigore.

82. *M.* Ideo ergo mittit ad nos Animas, ut noſtras orationes exaudiendo, ſalvet totum ſuæ juſtiſtiæ rigorem, quem non ſalvaret, ſi ipſe reciperet orationes ipſarũ Animarum? Sed opera bona viatorum nonnè ſunt accepta ex meritis Chriſti? Viator ergo exauditur in ſua oratione per merita Chriſti, & Chriſtus ipſe non poteſt diſpenſare merita propria orationi Animarum? Igitur non mittit eas ad vivẽtes, ut ipſi ſublevent eas, quas ipſe ſublevare non poteſt.

83. *D.*

83. *D.* Non ſic abſolutè, ſed tantum, quatenus ut Judex non ſalvaret totum ſuæ Juſtitiæ rigorem.

84. *M.* Quid eſt hoc dictum, *Salvo toto Juſtitiæ ſuæ rigore?* Forſitan petitio principii? ideſt quaſi dicat reduplicative, ſalva pæna non poteſt condonare? Equidem hæc propoſitio nec calamo Philoſophico digna eſt; ut ſi diceres; Ægrotus ſalva infirmitate non poteſt ſanari; quis diſputaret hoc? Dic ergo, quòd Chriſtum orant Animæ, ut pænam, quam infligit ut Judex, temperet ut Pater. Quòd ſi contendis Chriſtum debere agere cum eis, ut Iudex; adhuc dico, quòd poteſt condonare ſalvo toto decreto Iuſtitiæ rigore, nam ſi decretum de pæna talis Animæ eſt conditionatum, niſi acceſſerit eius oratio: Orante Anima, ſi eius ſententia eſt ſic conditionata; ad orationem eius debet Iudex eam liberare ſalvo

otot

toto decreto Iuſtitiæ rigore, quia Anima exequitur omnia, quæ cōtra ſe per ſententiam decreta ſunt. Exempla autem Principis hujus Mundi non cōcedentis gratias, niſi prius recipiat offenſæ reconciliationem, & quouſque cōtra offenſorem maneat iratus; dico quòd potius ſunt pro nobis. Etiam Deus culpa mortali non ſublata non exaudit orantem, eo modo, quo ſupradictum eſt *n.* 74. Sed aliter loqui debemus de Reo culpæ mortalis, aliter de Reo pœnæ temporalis. Ille verè dicitur *Reus*, Iſte melius dicitur *Debitor*. Animæ autem Purgatorii non Reæ, ſed potius debitrices dicendæ ſunt, undè optimè Chriſtus Iudex *Matt. l. c.* non affert parabolam Rei ſub patibulo; ſed debitoris in carcere. Erga ſuos debitores Purgantes eſt quidem Deus iratus, ſed erga Reos damnatos inſuper eſt inimicus. *Maſtr. Theol. mor. diſp.* 24. *n.* 42. *quamvis*

ab

ab ipſo affligantur, non tamen affliguntur tamquam ab inimico, ſed tamquam à iudice juſto, & Patre benigno. Differentiam inter iratum, & inimicum liceat afferre ex *Ariſt. lib. 2. Rhet. c. 9. in fin. Iratus ob multas adverſarii calamitates nonnunquam ad miſericordiam flectitur, qui autem odit* (ut Deus damnatos; iniquos odio habui, *pſ.* 18) *nulla unquam movetur miſericordia. Et Io: Maub. de reg. Purg. c. 5. §. Tanta acerbitate affliguntur, ut nullus tam durus eſſet in Mundo tyrannus, qui eis non ſuccurreret, ſi hoc planè noſceret.* Quid ergo tù bone Ieſu, licet Iudex iratus amicis; vel Pater iratus filiabus? Dirus tytannus flecteretur ad pietatem; Tu dulcis Ieſu non inclinaberis à miſericordia? Inimicus Purgantibus non es, ſed iratus; quòd non flectaris inimicis tuis damnatis intelligo, hoc convenit inimico: ſed quòd aliquando non flectaris pænis filiarum, & ſpon-

ſponſarum tuarum, nõ capio, quia hoc non convenit etiam irato.

85 *D.* Quid dicis ad exemplum Principis nolentis gratificari offenſori?

86 *M.* Jam dixi, quod etiam Deus non audit peccatores modo jam dicto, niſi remiſſa culpa, quod non militat in Animabus Purgatorii, quæ non ſolum juſtificatæ ſunt, ſed in gratia confirmatæ; Sed exemplum Mundani Regis prophanis exemplis liceat retundere. Quamvis Lucius Scipioni Aſiatico vehementer iratus eſſet & cum eo apertas inimicitias exerceret, tamen cum eum in carcerem duci videret, interceſſit, & Tribunicia poteſtate, qua tunc erat præditus, eum liberavit. Metellus Macedonicus longo tempore Æmiliano iratus cum audiſſet eum Domi ſuæ interfectum; vultu mæſtiſſimo in publicum profectus dixit, Cives, Noſtræ Urbis Mænia ſunt everſa, de-

deinde filiis ſuis præcepit, ut ejus funus comitarentur, numquam enim fore, ut præſtantioris Viri funus aſpicerent. *M. Ant. Maiorag. in comm. Ariſt. cit.* Sed quid exemplum Hominis ad docendum facta Dei? Numquid Dei eſt imitari ſupercilium Hominis, an potius eſt Hominis imitari clementiam Dei? Non audiat Deus, quid dixerit, aut fecerit Rex aliquis iratus; ſed omnis Rex iratus audiat quid fecerit Deus. Peccavit David, & ei pœnitenti deleta eſt Culpa. Propheta Gad intimante pœnam, eligit dies tres peſtilentiæ 2. *Reg.* 24. 15. *Immiſitque Dominus peſtilentiam de mane, uſque ad tempus conſtitutum.* Sed quid evenit? Offerente David Sacrificium in area Areunæ, eodem primo die ceſſavit peſtilentia unde S. *Ambr. in p.* 37. *In remuneratione præmiorum* (Deus) *ſua promiſſa cuſtodit, & exactione penarum præſcriptum remordet. Gloſſ. ibi.*

ibi. Igitur principes ſæculi doceat Deus; non nos doceamur Pietatem Dei erga Animas à Principibus ſæculi.

87 *D.* Placeat quæſo, quod tibi recitem aliquas breves obiectiones, ſicut eas lego in Doctore irrefragabili *loc. cit.*

88 *M.* Si verba ejus recitabis, verbis ejus reſpondebo.

89 *D.* Ait ergo ſic. Iſidorus de ſummo bono *l.* 3. *c.* 7. oratio eſt in præſenti tantum vita, quæ pro remedio peccatorum effunditur, ſed Animæ illę jam à vita tranſierunt: ergo, &c.

90. *M.* Reſpondet, quòd iſta vita eſt ſtatus, ut quis oret pro remiſſione peccatorum, quæ enim non dimittuntur ante mortem, neque poſt mortem dimittentur, ideſt de mortalibus; ſed non negat (Iſidorus) quòd pro alleviatione pænæ poſſit oratio fundi in Purgatorio.

91. *D.* Præterea Auguſtinus ad

ad Probam *ep.* 121. Porrò ſi nulla tentatio, nulla eſt oratio, ſed in Purgatorio tranſit tempus tentationis: ergo, &c.

92. *M.* Reſpondet, quòd loquitur de tentatione inducente ad malum culpæ, & de oratione, quatenus eſt contra eam remedium, quæ quidem non eſt in Purgatorio; non autem de tentatione, prout generaliter ſumitur pro pænæ perpeſſione; & ideo quia in Purgatorio eſt talis tentatio, ideo eſt oratio.

93. *D.* Præterea in Purgatorio conſtat non eſſe tempus merendi, nec ſecundum formam Eccleſiæ ſatisfaciendi; oratio autem vel meritoria eſt, vel ſatisfactoria; ergo, &c.

94. *M.* Hæc eſt reſponſio, ut vides, doctoris irrefragabilis, quod oratio habet reſpicere merita ipſius orantis, & habet reſpicere ſuperabundantiam Divinę largitatis; orant enim multi confiden-

fidentes de Dei largitate, pluſquam de ſua bonitate. Animæ ergo Purgatorii non orant reſpiciendo merita, quæ acquirant, quia non ſunt in ſtatu merendi, ſed tantummodo aſpiciendi ad ſuperabundantiam Divinæ largigitatis; ſciunt enim, quòd non continet Dominus in ira ſua miſericordias ſuas, ſed cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur.

CAPUT OCTAVUM.

Quæſtiunculæ.

1 UTrum Animæ Purgatorii orent Sanctos, & Angelos?

2 An orent ſe invicem?

3 An orent Nos?

95 *D.* Scirem libenter, quid ſentias de oratione Animarum ad Sanctos, & Angelos? An ſcilicet teneas, quod ipſæ Angelos, & Sanctos orent?

96 *M.* Affirmativè reſpondeo.

Quia

Quia certum eſt quod quicumque poſitus in miſeria, & potés ex poſtulare, orat potentes eum ſublevare, ſed Animæ ſciunt Angelos, & Sanctos poſſe ſuis Orationibus, ac interceſſionibus, & reſpective mediis inſpirationibus factis viatoribus eas adjuvare; ipſeque Purgantes, ut diximus, poſſunt orare; quare igitur eos non orant? forſitan quia Beati non vident earum preces? ſed poſſunt videre in verbo, vel per acceſſum ad Purgatorium; cum ergo Beati eas, cum quibus erunt cum Domino ſemper perfecta charitate diligant, volunt eas; & poſſunt adiuvare; Ipſæ miſerę in tormentis non eos deprecabuntur?

97. *D.* Orant etiã ſe invicem?

98. *M.* Non eſt mihi incredibile, quod ſicut nos rogamus illos viatores, quos gratioſiores nobis apud Deum exiſtimamus, ita Animæ inferioris meriti ſe commendent aliis altioris meriti, ſaltem

vicinioribus ad gloriam, ut cum admiſſæ fuerint in Patriam orent pro relictis in Purgatorio. Figura poteſt eſſe Ioſeph, qui concarcerato Pincernæ regio dixit *Gen.* 40. 14. *Memento mei, cum bene tibi fuerit, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere*. Oratio tamen iſta non eſt proprie oratio, ſed ut inferius dicam, eſt potius commendatio, ſicut fit à vivis ad vivos.

99. *D.* Si orant Sanctos, & Angelos, & inſuper ſe invicem, igitur minus indigent noſtri.

100. *M.* Reſpondeo, quòd cum non ſit certum, utrum nos odio, an amore digni ſimus, ideſt in gratia, & amicitia Dei; ideo decet plurimum, & à pluribus ex nobis pro eis orare; eaſque ad ad plures, ideſt ad Sanctos, Angelos, & ad invicem confugere, utpote quos ſciunt eſſe in gratia. Poſſet etiam afferri alia reſponſio; videlicet: quod licet ex hac opi-

opinione ſequeretur, quòd minus indigeant noſtro ſuffragio proveniente ex oratione, ut impetratoria, certe non ex hoc ſequitur, quòd minus indigeant ſuffragio noſtro proveniente ex oratione, ut ſatisfactoria eſt, item ex eleemoſina, jejunio, indulgentiis, Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, &c. quæ ſuffragia nequeunt obtinere nec ab Angelis, nec à Beatis, nec à ſe invicem; ideo non minus indigēt noſtri, in eo ſuffragio, quòd proprie noſtrum eſt, ideſt ſolius viatoris. Tandem poſſet reſponderi, quòd non minus indigent noſtri; quia ſuppoſita hac earum poſſibili oratione cōſtituta à principio Purgatorii: indigerent noſtri, ſicut ſemper indiguerunt, & ſicut Deus determinavit eas noſtri indigere; ut fuſius ſupra dixi *num.* 57.

101. *D.* Aſſerere autem, quòd orent nos; mihi duriſſimum apparet; Tù vero quid ſentis? Orant nos?

102. *M.* Affirmative; ſed vel in genere, vel in ſpecie, vel in individuo; ideſt, vel aliquod genus Hominum, ut omnes Sacerdotes ſimul ſumptos; vel aliquam eorum ſpeciem, ut Sacerdotes talis Ordinis Regularis; vel in individuo, ut talem Sacerdotem; & hoc relativè, ſeu reſpectivè ad notitiam, quam de nobis habent; Itemque dico, quòd orant nos non oratione propriè dicta, ſed rogatione, ſeu commendatione, ut à vivis fit ad vivos. *Manſ. Bibl. mor. v. Purgatorium diſc. 7. n. 1. Porrò Animæ nunquam deſinunt ſe nobis recommendare. Solarius Pen. tat. Mort. l. 2. c. 4. n. 1. Sunt omnibus notæ voces illæ, quibus Purgatorii Animæ noſtrum in ſuis cruciatibus implorant auxiliũ.* Nonne ſciunt nos eis poſſe ſuffragia cumulare? Orant ergo, ut nos inducant etiam ad velle eas ſublevare.

103. *D.* At vero ſciunt quo-

que nos eas non poſſe audire; Si tanta diſtantia eſt inter Purgatorium, & viventes, quomodo voces earum audiri poſſunt à nobis? Scientes ergo non eſſe auditas, qualiter ſperant ſe fore a nobis exaudiendas?

104. *M.* Licet ſciant nos eas corporaliter de Purgatorio audire non poſſe, ſciunt tamen nos eas audire auditu fidei; à qua docemur eas eſſe, & eſſe in miſeriis, & eſſe in miſeriis permaximis. Et quid ſunt tot inſpirationes per Angelos, excitationes per Prædicatores; Amicos, &c. Niſi petitiones ab Animabus quaſi per Nuncios ad nos miſſæ, vel à Deo mille aliis modis (orantibus Purgantibus) in nos immiſſæ?

105. *D.* Sane intelligo quòd Animæ illæ cupiunt à nobis ſublevari, ſed quomodo petant non capio, quia cum tam longe ſint à nobis, hæc ipſa ſua deſideria nequeunt nobis manifeſtare.

106. *M.* Retorqueo contra te argumentum tuum. Si ex nimia diſtantia ſciunt ſe non poſſe manifeſtare talia ſua deſideria; ad quid ergo deſiderium, quod manifeſtare eſt impoſſibile? Adimplementum non poteſt haberi ſine manifeſtatione; manifeſtare eſt impoſſibile, ergo deſiderant impoſsibile? Nonne deſiderare impoſſibile eſt pæna acerbiſſima? Ad quid ergo eligunt ſponte hanc novam pænam? Item addo, quòd cupere impoſſibile eſt animi inordinati, quomodo ergo deſideriũ hoc in Animabus, quæ ordinatiſſima mente fruuntur? Dic ergo quòd rogãt nos ex deſiderio ſuffragiorum, ſcientes, quòd ſi manifeſtatio talis ſupplicis deſiderii ſit impoſſibilis ob diſtantiam, eſt tamen poſſibilis per inſpirationẽ Angelicam, & excitationem Divinam factam viatoribus.

106. *D.* Ad inſinuandum Animas nos orare putabam te adduce-

cere voces illas quibus in Apocalypſi dicuntur ad Deum clamare quotidie; etenim ſubito reſpondiſſem, verba illa eſſe expreſſiones deſiderii Animarum; non orationes; Quod pariter dixiſſem de verbis illis toties à pluribus repetitis, *Miſeremini mei, Miſeremini mei, ſaltem vos Amici mei.* Si enim petitiones eſſent, prorſus vanæ eſſent, & otioſæ, cum certum ſit nos eas voces audire non poſſe.

107. *M.* Equidem voces Apocalypſis auditas ſub Altare Dei figurativo Purgatorii, ut placet *Lyrano in Apoc.* 6. 9. Non eſſe orationes teneo, ſed quærelas expreſſas per verba, *& clamabant voce Magna*; licet Haymo ibid. explicans, de Sanctis vocet petitiones, dicens: *petunt autem de reprobis vindictam*; ideoque cum hic ſacer Textus ſufficiens nobis viſus non ſit ad probandum Animas orare, nos eo uſi non ſumus.

Sed non ita dico de clamore deducto ex *Iob* 19. 21. *Miſeremini mei, &c.* Aſſero enim, quòd non eſt nudum deſiderium, ſed ſunt preces ad modum vivi orantis vivos. *Gloſſ. ibi. Piorum eſt, cum ab adverſariis patiuntur, non tam ad iram, quam ad preces moveri. Et Solar. Pentat. Mort. l. 2. c. 7. n. 1. Non fruſtra de Purgatorii carcere ad nos clamantes Animæ defunctorum, amicorum præcipue invocant auxilium; preces petunt, & ſuffragia expoſcunt Miſeremini mei, &c.* Et quòd talis clamor ſignificet petitionem audi *Bercoriū in Dict. V. Clamare. Nota quòd clamare ſecundum Hugo: idem eſt cum alta voce ſonare, & cordis deſiderium exprimere, & in ſcriptura in Bono ſignificat* (poſt alios ſenſus) *Miniſterium orationis. Eſt ideo clamandum* (poſt alia) *per orationem* 1. *Macb.* 4. *Clamemus in Cœlum, & miſerebitur noſtri Deus noſter.* Et inferius. *Clamare dico debemus ad*

Deum

Deum per orationem, & ſuorum Beneficiorum implorationem, & ſic ſtatim aderit per ſui benigni adiutorii manifeſtam, & occultam collationem unde p. Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me. Ergo clamor *Miſeremini mei, &c.* eſt vera petitio, ſeu rogatio, qua Animæ vere ſe nobis commendanr. Vere inquam, & non vane, nec otioſe propter noſtram diſtantiam; ſed ſcientes per miniſterium Angelorum nobis patefieri earum preces amicus abſens per Nuncium ſupplicans Amicum, nonne vere ſuum manifeſtat deſiderium, & vere rogat, nec diſtantia impedit, quòd dicatur, quòd ipſe vere ſe alteri commendet? Cum ergo mille modis ſint nobis manifeſtæ miſeriæ, & petitiones Animarum purgantium non obſtante earum diſtantia, quomodo dicendum eas nos non rogare?

108. *D.* Quatenus admittere-

tur hæc Animarum commendatio; ſicuti certa eſt, quando permittuntur ad nos accedere; tamen nec in Purgatorio poſitæ, nec nobis aliquando apparentes, ſi nos deprecantur, non poteſt dici, quòd orent nos, ſeu quòd earum ad nos deprecatio ſit proprie oratio. Quia oratio proprie eſt actus Religionis, qua ſe homo ſubiicit Deo ex S. Thoma; unde ſicut non eſt actus Religionis oratio; qua viventes petunt adiuvari à viventibus, ita nec illa qua Animæ peterent à nobis auxiliũ. Commendationem vivorum ad vivos non eſſe proprie orationem habetur communiter ex *S.* Thoma, & S. Antonino.

109. *M.* Quis unquam prætendit Animas orare nos actu Religionis, qui ſoli Deo debetur? quis unquam quæſivit, utrum Animæ orent nos Latria, vel Dulìa? Equidem cum de oratione earum ad nos loquitur, procul dubio de ora-

oratione ut inter vivos ſenſu catholico quærimus; vel vocetur oratio, vel petitio, vel commendatio, vel poſtulatio, vel rogatio; dummodo ſit petitio ſine cultu Religioſo. Non enim de nomine, ſed de re nobis eſt ſermo; nedũ Animæ illæ affliguntur tormentorum verberibus, & quæſtubus; videamur ludere inaniter verbis, & quæſtionibus.

CAPUT NONUM.

Utrum Animæ Purgatorii orent pro Nobis?

110. *D.* QUoniam eouſque colloquium de Animabus productum eſt, ſcire vellem, an etiam orẽt pro nobis?

111. *M.* Ante reſponſionem ſcire debes, quòd nos viatores poſſumus conſiderari tripliciter. In Genere, in Specie, in Individuo. *In genere* generaliſſimo intelligitur omne genus humanum

mortalem vitam ducens, ſed hic ad noſtrum propoſitum accipitur præcipue *in genere* ſubalterno, ideſt omnes Fideles Catholici. *In ſpecie*, ideſt aliqua hominum ſpecies, vel Moralis, ut peccatorum, Pænitentium, Religioſorum, ſæcularium, &c. vel Politica; ut Prælatorum, Regum, Civium, Conſanguineorũ, Benefactorum, &c. *In individuo*, ideſt particulares, ac ſingulares homines, ut Petrus, Titius, Sempronius, &c.

112. *D*. Ergo etiam Animæ Purgatorii poterunt conſiderari tripliciter. In genere, in ſpecie, in individuo. *In genere*, ideſt omnes illæ Animæ ſimul, ac collective ſumptæ. *In ſpecie*, ideſt Animæ alicujus ſpeciei vel moralis, ut Sacerdotum, Religioſorum, Virginum, &c. vel Politicæ, ut conſanguineorum, Civium, Amicorum, &c. *In individuo*, ut Anima Petri, Titii, Sempronii, &c.

113. *M*. Ita eſt; ſed inſuper ſcire de-

debes, quòd etiam neceſſitates tripliciter conſiderari poſſunt, in Genere, in Specie, in Individuo. *In genere* ſunt illæ, quas patiuntur Homines in genere naturæ, vel Gratiæ. *In ſpecie* quas patiuntur, ut exiſtentes in tali ſtatu, ut Pauperes, Prelati, Egroti, &c. *In individuo*, ut hæc, vel illa neceſſitas, quam patitur hic, vel ille homo.

114. *D.* His præhabitis, quid ais ad quæſtionem.

115. *M.* Firmiſſime teneo, quòd *Animæ Purgatorii orant pro nobis*.

116. *D.* Si tam firmam aſſeris eſſe hanc propoſitionem, equidem ſolidiſſimis fulcita erit Auctoritatibus, & Rationibus. Audirem Auctoritates.

117. *M.* Aſſertio hæc deducitur ex *Baruch cap. 3. v. 4.* Ibi ſacer Textus exponit Populum Hebræum captiuum in Babilone deprecantem Dominum his verbis. *Domine Omnipotens Deus Iſrael, audi*

nunc orationem mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei ſui; & agglutinata ſunt nobis mala. Hugo hic. *Nam in fide, & Sanctitate Sancti mortui orant pro vivis.* Sed ultra expoſitionem Hugonis, ad cognoſcendam vim auctoritatis hujus Sacræ Scripturæ, nota; quòd Populus Iſrael captiuus obſecrat Deum, ut exaudiat 1. orationem mortuorum Iſrael; 2. ut exaudiat orationem filiorum ipſorum, qui peccaverunt, propter quæ peccata ipſe Populus ſuſtinebat mala captivitatis. In mortuis Iſrael, quorum orationes deprecantur exaudiri, poſſunt apte intelligi Sancti Patres orantes in Lymbo. Sed altera oratio, ideſt oratio filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante eos, qui tenebantur captivi, de quibus mortuis intelligi poteſt? non de iiſdem SS. Patribus in Lymbo, quia non diceret eos pec-

peccatores, nec cauſas captivitatis. Non de damnatis, quorum nulla eſt oratio; igitur de illis, qui peccaverunt quidem, ſed deleta culpa, orabant in Purgatorio pro ſuperviventibus captivis, ac ſuſtinentibus captivitatẽ, quam ſuis peccatis meruerant.

118. *D.* Si de mortuis loquitur in illa ſecunda oratione ſacer Textus, inexpugnabile robur mihi videtur habere; Sed poſſet dici, quòd Populus captiuus deprecabatur Dominum, ut exaudiret orationes aliorum concaptivorũ Seniorum ſimul in captivitate viventium.

119 *M.* Deprecatio illa fit nomine totius Populi captivi, igitur non de viventibus, ſed de mortuis intelligi debet; aliàs idem eſſet, ac ſi Populus exoraret, ut Deus exaudiret orationes ipſius orantis, quaſi diceret exaudi nos; quod eſſet contra Sacrum textum, qui dicit captivos deprecari

cari pro exauditione Orationis illorum,qui peccaverunt ante te; & agglutinata ſunt nobis mala: igitur non ſunt iidem, qui peccaverunt, & illi, quibus actualis captivitas agglutinata eſt; quaſi dicat illi mortui peccaverunt, & propter eorum peccata induxiſti Domine Deus captivitatem, quæ uſque modo etiam in nobis durat. Ipſi jam mortui orant in Purgatorio pro auferenda captivitate, quam Nos proptèr eos patimur, ergo exaudi Domine Orationes eorum. Quare de Iſraelitis in Purgatorio orātibus videtur clariſſimus Sacer Textus loquens de ſecunda Oratione, ideſt, de Oratione filiorum Sanctorum Patrum. Sed quid diceres,ſi etiam primam orationem, ideſt illam, quam Sacer Textus vocat *Orationem Mortuorum Iſrael*, interpetraretur non de Oratione Sanctorum Patrum in Lymbo; ſed de Oratione mortuorum Purgantium? Sane Purgan-

gantibus applicat *Franch.* à Cruce ex *carm. diſcalc. in præfat.* libri lumen vivorum, ubi ex illo textu hic deducit. *Nequeunt aliquid operari;* (Animæ Purgatorii) *poſſunt tamen orare, & petere pro aliis, & ſuis orationibus Nos adiuvare.*

120 *D.* Affer alios Sacræ Scripturæ textus.

M. Deducitur item ex *Evang. Lucæ 6. 48. Date, & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Quod de Animabus Purgatorii exponit *Mas. Bibl. Mor. V.* Purgatorium *diſc. 7. nu. 5.* Non enim dicit dabitur, vel dabo, ſed *dabunt*: quia recompenſabunt Animæ ipſæ, quod equidem nequeunt facere, niſi Oratione; Nam ſi foret, ut retribueret Dominus ſua ſola liberalitate, non ad earum preces; dixiſſet dabo, vel dabitur; igitur ſi Evangelium dicit *dabunt*; Signum eſt ſuffragia remunerari etiam ab Ani-

nimabus modo eis poſſibili, ideſt orando pro nobis.

121. Item; nemo dubitat, quòd Iob in tormentis figura non fuerit Animarum Purgatorii, tanto magis, quòd Eccleſia ex eodem libro Iob aſſumit lectiones pro officio mortuorũ. Vide nunc, quomodo in eo figuretur oratio Animarum pro nobis. Præcepit Deus, ut amici ſe commendarent Sancto Iob; promiſitque ſe orationes Iob exauditurum. *Ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis, Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam.* Iob 42. 8. & nota, quòd Iob adhuc erat in afflictione, ut eſſet figura Animæ Purgantis; quia poſt tempus talis orationis ab eo fuſæ pro amicis reddidit, & ampliavit Deus ei fælicitatem; *ut ibid. num.* 10. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiã Iob, cum oraret ille pro Amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia quęcumque*

que fuerant Iob duplicia.

122. *D.* Habes ne pro hac opinione Patres aliquos?

M. Hæc in Patribus ſcripta reperio. Tu cogita ſi orationi Animarum faveant. *S. Io: Damaſc. or. de fidel. def. Hoc inquam miſericors ille* (Deus) vult, *gratumque habet, ut nos omnes tum in vita, tum poſt confectum vitæ curriculum mutuo alii ab aliis juvemur.* *S. Io: Chriſoſtom. hom. 21. in Acta Apoſt. Non fruſtra oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra* Eleemoſinæ*: vide enim utilitatem; accipiet ille per te, & tu per illum; contemptis opibus inductus ad faciendum aliquod generoſum, & tu illi ſalutis, ipſe vero tibi eleemoſinæ factus eit. Auctor. S. Hyerom. apud Manſi l. c. diſc. 7. n. 15. Quantam conſolationem defunctis impendimus, tantum viceverſa recipimus.* S. Ambr. *or. in obitu Satyri fratris ſui* [qui fuit Sāctus] orat pro eo, & teſtatur de be-

beneficis ſic. *Ego pro muneribus tuis, ut compenſarem beneficia, vota referebam* (eo vivente) *nunc, & vota perdidi, ſed tamen tua beneficia non amiſi*. Item lib. de *Cain. & Abel.* Non *mediocre etiam dogma in hoc conſiſtit, quia Deus juſtos ſuos audit, etiam mortuos, quoniam Deo vivunt*. Quæ Animabus Purgatorii applicat *Manſ. loc. cit. diſ.* 4. *n.* 8 *S. Aug. Serm.* 226. de tempore loquens de mortuis à Tobia ſepultis ait. *Ipſe ſepultus, quem ſepelſtis pro vobis voce tacita proclamavit*. S *Bernardin. Sen. tom.* 2. *Serm.* 54. *prop.* 3. *Quamvis ſit in peccato non ceſſes orare prò defunctis, & facere elemoſinas, & alia bona pro earum Animabus: quia etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam pænitendi, & contemnendi de tuis peccatis*.

123 *D.* Quam libenter hęc audio! Sequere ſi tibi placeat.

M. S. *Birgitta in revel. l.* 4. *c.* 7. *Supra vero ſpatium iſtud* [in Pur-

Purgatorio] *videbatur quaſi Domus in qua multæ voces audiebantur di-centes. Merces ſit illis à Deo, qui mittunt nobis auxilium in defectus noſtros*. Et intra. *O Domine Deus da de tua incomprehenſibili poteſtate unicuique centeſimam remunera-tionem in Mundo bis, qui nos ele-vant cum bonis operibus* S. Catha-rina Bononienſis, ut ex ejus vita ſcripta à Graſſetto. *lib. 3. cap. 3. Teſtificabatur de ſe ipſa recepiſſe à Deo ſingulares gratias medianti-bus Animabus mortuorum, quibus ſe commendaverat, unde in Anima-rum interceſſione tam confidebat, ut in majoribus neceſſitatibus ad eas recurreret*. Servæ Dei Franciſcæ à SS. Sacramento apparuit quæ-dam Anima; cui cum commen-daretur quædam mulier, reſpon-dit Anima. *Ego facio* [commen-dãtionem] *& faciam* refert *Franc. à Cruce lib. lumen ad vivos; appa-rit.* 189. in quam apparitionem doctiſſimus *Palafoſc. Epiſc. Oſmen.*

Hîc

Hic inſinuat quòd per ſe, vel per Angelos Deo commendabat illam. Aliæ Animæ multæ viſæ ſunt recitare in una Eccleſia Officium Defunctorum invitatę ab una earum, quæ dixit ſepultis; *Surgite Oremus viciſſim. Manſi ibid. diſc. 5. num. 7.*

124 *D.* Produc quæſo, ſi quos habes Doctores hujus opinionis ſequaces.

M. Gerſon. ſerm. de Defun. ap. Manſi l. c. diſc. 6. nu. 6. Defunctorum Animas ſuos Benefactores alloquentes inducit ſic. *Nos autem pro vobis preces offerimus, & interceſſionem Bellarm. de Purgat. l. 2. c. 15. Non eſt incredibile etiam Animas Purgatorii pro nobis orare, & impetrare Suarez de Relig. t. 2. l. 1. c. 11. n. 16. Tamen in generali orare poſſunt, primo quoad Perſonas, pro omnibus viatoribus; videntur etiam poſſe orare pro particularibus perſonis, &c. certius orare poſſunt pro illis viatoribus, qui illis*

illis ſuffragantur. capite verò 10. *citat Gabr. in can. miſſ. l.* 58., & *Med. Cod. de or. q.* 4. & 5. *Laiman p.* 2. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 5. *Nil prohibet, quominus Deus pro ſeipſis, tum etiam pro nobis, ſaltem ut comunibus, quibus nos obnoxios ſciunt, miſeriis liberemur, orare, atque ſecundum Dei miſericordiam impetrare. Caſtropal. de or. p.* 2. *p.* 4. *n.* 9. *in fin. Proinde credo Animas in Purg. exiſtentes, utpote Deo chariſsimas, & nobis bene affectas, commendare ſæpe Deo amicos, quos liquerunt in hoc ſæculo, conſanguineos, & propinquos, & quotquot illis benefaciũt, illiſque ſe commendant. Beccanus de Iuſt. & jure cap.* 83. *q.* 5. *concl.* 5. *An autem orent pro vivis non ſatis conſtat; crederẽ etiam pro illis orare, quia dubitandum non eſt; quin pro ſuis ſint ſolliciti. Valentia t.*3. *diſp.*6. *q.*2. *p.*7. Quarto aſſero, *non eſſe etiam improbabile Animas Purgatorii orare, tum generatim pro fidelibus,*

tum

tum in ſpecie pro iis, qui ipſis peculiariter in hac vita chari fuerunt. Tamb. de præc. dec. l. 2. c. 4. nu. 6. *Tertio an etiam Animæ Purgatorii* [orent] *Affirmative dic cum* Bellarm., *Suarez, aliiſque, quia poſſunt in genere orare pro iis, qui illis benefaciunt, vel eorum orationes implorant* Maſtrius Theol. Mor. diſp. 24. nu. 42. citans *Aſteianum, Fabrum, & Brancatum tom.* 4. *de Noviſſ. diſp.* 26 recitanſque opinionem ait *Nulla eſt repugnantia quin pro nobis Amicis ſuis, & benefactoribus orare poſſint*, & inferius *Neque irrationabile eſt* S. *Angelos interdum aliqua Animabus illis revelare, quæ hic fiant à viventibus Amicis, vel alio titulo coniunctis, ut ſciant à* Nobis *pro illis orari; ideoque & ipſi viciſſim pro nobis orent.* Bonacc. de Sacram. diſp. 6. q. 1. p. 6. nu. 16. Necnon memores *exiſtunt accepti Beneficii, orando Deum pro nobis, non ſolum poſtquam Cæleſtem Gloriam adeptæ fuerint,*

Sed

ſed etiam dum in Purgatorio commorantur. *Idem de Hor. Canon. diſ. 1. q. 2. p. 1. n. 8. Addo Animas Purg. Non ſolum pro ſe, verum etiam pro viatoribus orare; & citat Henriq. Coninch. Graſſius in Addit. ad 2. t. deciſ. Aur. l. 2. cap. 4. n. 26. Animæ, quæ ſic per vivorum ſuffragia, & indulgentias liberantur, ſunt memores Beneficii, & non tantum dum Beatæ fuerint, ſed in Purgatorio manentes orare poſſunt pro vivis apud Deum.*

125. Ex Aſceticis autem P. *Martinus Roa ap. Manſ. ib. diſc. 7. n. 1. Immo non ſolum fruimur cenſu intercesſionis ipſorum pro eo tempore, quo in Cælis exiſtent, verum etiam eo tempore, quando etiam detinentur in Purgatorio, ubi intercedere, & precari pro nobis poſſunt. Franciſc. à Cruce Lum. ad vivos in præf. Nihilominus poſſunt orare, & petere pro aliis, earumque orationibus nos adiuvare. Roſignol. mir. Dei in An. Purg. p. 2. in Intr.*

Non tantum acquirimus cenſum earum interceſſionum, quãdo cæleſtem poſſident Patriam, ſed etiam dum detinentur in Purgatorio, nam ibi quoque devotis earum precibus orant, & nobis impetrant Divinas gratias.

126. *D.* Equidem ſi de Auctoritatibus eſt ſermo, multæ, & validæ ſunt pro hac ſententia: attamen audivi eſſe unam aliam ſententiam aſſerẽtem Animas in Purgatorio exiſtentes poſſe quidem orare pro nobis, ſed re vera (ſaltem ordinariè] non orare; ideo pariter nos poſſe eas orare, ſed hoc eſſet otioſum, & ſupervacaneum. Pro qua aſſertione memini me audiviſſe citare *Bellarm. de Purg. l.* 2. *cap.* 13. *Leſſium l.* 2. *c.* 37. *dub.* 5. *n.* 23. *Caſtropal. p.* 2. *p.* 4. *n.* 7. *in fin. Greg. Valent. p.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *p.* 6. §. 4. *Beccan. de Iuſt. & iure cap* 83. *p.* 5. *concl.* 5. *& Suarez de Relig. p.* 2. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 25. 26. *& cap.* 11. *n.* 16.

16. 17. quamvis trepido, ac ſuſpenſo calamo iſte ſubſcribat.

127. *M.* An Doctores citati ſint in dicta ſententia; ideſt; Animas poſſe quidem orare pro nobis, ſed de facto non orare, Tu ipſe judica. Ego tibi eorum ſcripta recitabo. *Bellar. citat. hæc habet. Non eſt incredibile etiã Animas Purgatorii pro nobis orare, & impetrare; quandoquidem Anima Paſchaſij, &c. & quamquam.* S. Thom. *contrarium doceat in* 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 3. *tamen ratio eius non convincit, nam ſi Animæ illæ non orent pro nobis; vel cauſa eſt, &c.* Leſſius *citatus ait. An orent pro vivis non ſatis conſtat, credibile eſt etiam pro illis orare. Caſtropalaus citatus ſcribit. Credo Animas in Purgatorio exiſtentes commendare ſæpe Deo Amicos, conſanguineos, &c. Gregorius Valentia citatus ſic dicit. Aſſero non eſſe etiam impoſsibile Animas Purgatorii orare, tum generatim, &c. Beccanus citatus iſta*

loquitur. An autem orent pro vivis non ſatis conſtat; probabilius eſt id eos facere. An autem Suarez teneat Animas non orare, & an trepido calamo ſcripſerit eas poſse, obſerva eum *hoc tit. n.* 16. *Tandē dubitari poteſt, an illæ Animæ orent pro viventibus?* poſtquā Doctorum opiniones poſuit, ac dixit poſſe orare in genere, & pro particularibus, & certius pro Benefactoribus, concludit. *Hæc ergo oratio per ſe impoſsibilis non eſt. Tomo vero 4. in 3. p. D. Th. diſp. 47. ſect. 2. n. 9. ſic ait. Hic vero occurrebat quæſtio, an ibi* (Animæ in Purgatorio) *orent pro nobis?* Et poſitis opinionibus ſolvit arguméta negativa, concludens, *quæ quidem omnia probabilia ſunt, & ideo D. Thomæ opinio contemnenda non eſt*, & in fine, *unde practice non dubito, quin honeſte poſsint a nobis orari Animæ illæ, & quod poſsimus etiam fructum aliquem talium orationum, media illarum in-*

ter-

terceſsione ſperare. Tu igitur perpendens verba citatorum è contra Doctorum dic, ſi nemo illorũ ſenſerit, Animas poſſe quidem, ſed non orare pro nobis, & ſi Suarez trepido calamo ſcripſerit.

CAPUT DECIMUM.

Proponuntur rationes.

128. *D.* Tranſeamus ergo ad rationes, quibus tibi placeat mihi oſtendere, quod Animæ Purgatorii orent prò nobis.

129. *M.* Prima ratio deducitur ex natura orationis impetrativæ. Tota enim vis, qua impetratur aliquid pro ſe, & pro alio eſt obſequioſitas orationis, unacum gratioſitate orantis. In oratione inquam requiritur obſequioſitas, nam poſtulatio facta non per modum obſequii, ſed v. g. imperando; ut impero tibi Deus, dà mihi ſanitatem; vel execrando;

 ut

ut ò Deus, non es omnipotens, niſi dederis ſanitatem; vel imprecando, ut pereat Deus, niſi dederit ſanitatem, &c. non eſt inquam hic modus poſtulandi oratio, ſed peccatum; unde clarius eſt ſole, quod in oratione requiritur obſequioſitas. Sine gratioſitate autem, quid impetrabit oratio? Dæmones, & damnatos, & eorum ſimiles carentes gratia non exaudit Deus. Utraque igitur, ideſt obſequioſitas orationis, & gratioſitas orantis dant vim impetrativam. Obſerva nunc, ſi ambo ſint in Anima qualibet Purgatorii. Nonne quælibet eſt confirmata in gratia? Si nequeunt peccare; ergo nequeunt poſtulare modo peccaminoſo, ut execrando, &c. igitur nequeunt poſtulare, niſi obſequiosè. Concede ergo, quòd Animæ Purg: habent omne id, quod eſſentialiter requiritur ad orationem impetrativam pro nobis, & nega ſi po-

potes, quòd non orent, quando volunt, impetrative pro nobis.

130. *D.* Validiſſima mihi videtur hæc ratio.

131. *M.* Non minus valida eſt ſequens. Si aliquid impediret Animas illas orare pro nobis, maxime quia cum ſint tam longe à nobis poſitæ, nequeunt noſtras ſcire neceſſitates; ſed quòd ſciant neceſſitates noſtras, vel quomodo poſſint ſcire, attende. Recordare quòd ſuperius diviſimus neceſsitates in Genere, in Specie, & in Individuo. Ergo neceſsitates in genere, quales ſunt communes vitæ humanæ, tam quoad corpus, quam quoad Animam, jam ſciunt; quia cum viverent, expertæ ſunt. Neceſsitates vero in ſpecie; v. g. Religioſorum, Prælatorum, Divitũ, &c. eas docuit vel experientia, vel optima argumentatio, qua ex præmiſsis quomodocumque cognitis poſſunt perſpicaciter con-

cluſionem efformare. In Individuo autem; nempe hanc, & illã Neceſſitatem huius, vel illius hominis cognoſcere poſſunt variis modis. Primò per revelationem Divinam. 2. Per miniſterium Angelorum Cuſtodum ſuorum, vel noſtrorum, 3. Per Acceſſum Animarum ad eas ab hac vita migrãtium, &c. Accipe S. *Aug. lib. de cura pro mort. Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos, quid hic agatur, ſed dum hic agitur; poſtea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, quæ ſinantur, & iſta meminiſſe, & quæ illos, quibus hæc indicant oportet audire. Poſſunt & ab Angelis, qui rebus, quæ agantur, hic præſtò ſunt audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubiecta ſunt. Poſſunt non ſolum præterita, & præſentia, verum & futura ſpiritu Dei revelante cognoſcere.* Et S.

Ber-

Bernardin. tom. 2. Serm. 64. p. 2. in medio. Poſſunt ſcire quadrupliciter, vel per illuminationem Divinæ inſpirationis infuſæ in ipſis Animabus, vel per revelationem Angelorum, vel quia eis referuntur per alias Animas, quæ de hoc ſæculo recedunt ſcientes prædicta, vel per experientiam, quia ſentiunt ſibi alleviare pœnas.

132. *D.* Intelligunt forſitan Sancti Patres iſti de Potentia Dei abſoluta; Nos autem loquimur, quòd notificatio noſtrarum neceſſitatum fiat Animabus illis de potentia ordinaria.

133. *M.* Quis nam cogitavit modos, quibus de potentia abſoluta poteſt Deus notificare neceſſitates noſtras Animabus Purgantibus? Si ergo taxant S. Patres modos iſtius notificationis, equidem intelligunt hoc fieri pro ſtatu præſentis Decreti, & ordinariè; nam certum eſt, quòd extraordinariè poteſt Deus aliis

modis ſuæ infinitæ ſapientiæ noſtis Animabus illis hæc manifeſtare, unde idem *S. Bernardin. t. 2. Serm. 63. art. 2. c. 2. in fin. Conveniens itaque eſt, ut eiſdem prædictis quatuor modis innoteſcant* (ſuffragia) *à quibus, & quæ fiunt eis.* Et S. *Anſelmus in* Elucid. *pag. mihi* 271. *lit.* C. *Animæ quæ in pœnis ſunt, noſcunt quæ eis Angeli, vel Sancti referunt; itaque omnia quæ ſciunt, vel eis Divinitus revelantur, vel eis à morientibus, & illuc venientibus nunciantur.* Item *Abulenſ. in cap.* 12. *Exod. q.* 48. *Ipſi Angeli Boni aliquando veniunt ad eos, & revelant eis aliqua de bonis, quę fiunt in hoc ſæculo pro eis. ap.* Manſi *ll. cc., qui diſc. 6. n. 7. addit. Denique affirmari poteſt, quòd cum ſint in gratia, & amicitia Dei conſtitutæ, ipſeque Deus illarum liberationem ſupramodum deſideret, noſtras neceſſitates illis revelet, ut illarum conſciæ, deſideratas à nobis gratias apud Deum ſu-*

ſubitò impetrent. Et eodem teſte *Gerſ. Serm. de def. Facile eſt revelari illis orantes*. Et citati à *Maſtr. Theol. mor. diſp.* 24. *n.* 42. *Nec irrationabile eſt SS. Angelos interdũ aliqua revelare, quæ hic fiunt a viventibus*. *Item Bonac. de hor. Can. q.* 1. *p.* 1. *n.* 13. *Per experientiam alleviationis pœnæ, & quia ab Angelis admonentur*. *Et de Sacram. diſp.* 6. *q.* 1. *p.* 6. *n.* 16. *Per Angelos Cuſtodes certiores fiunt de ſuffragiis*. *Sed preſsius Pignattell. tom.* 9. *conſult.* 104. *nu.* 11. *Immo debent S. Angeli Cuſtodes ipſis ſignificare, quòd à viventibus rogentur*. Ergo à primo ad ultimum non ſolum extraordinarie, ſed ordinarie Animæ illæ ſciunt noſtras neceſſitates; ſi igitur habent poſſe orare, quia Amicæ Dei, & velle orare, quia Amicæ noſtræ, quare non orant pro nobis?

134. *D.* Optime; ſed habes nè rationem alteram?

M. Eſt mihi utique; & equidẽ

potiſſima, & apud Catholicos certe fortiſſimi roboris, & eſt iſta. Quomodo probant Catholici, quòd aliquis Beatus oraverit apud Deum pro aliqua gratia impetrata? Certe *Pignattell. to.* 4. *conſult.* 109. *ex Lezana conſ.* 1. *n.* 226. ait; quòd invocatio Beatorum à Deo exaudita concludit gratiam fuiſſe impetratam ad orationem, & interceſſionem talis Sancti. Sed quanta patravit Deus miracula ad invocationem Animarum Purgatorii? Vide ſi placeat ea in Dialogis S. Gregorii: & in S. Petro Dam. de miraculis ſui temporis, & ap. Bolland. in prima vita S. M. Magdalenæ 25. Maii in comm. prævio. Ac ut uno abſolvam verbo, non claudere, ſed effodere ſibi penitus oculos debet, qui nollet videre hanc veritatem, quòd invocatis Animabus Purgatorii plurimæ obtinentur gratiæ; Si ergo invocatio Beatorum exaudita concludit eorum

ora-

orationem pro gratia obtenta, pariter invocatio Purgantiū exaudita debet concludere earum orationem pro nobis. Præterea exiſtentes in Lymbo utique orabant, ut habetur 2. Macch ult, ſed in ordine ad impetrationem eadem eſt oratio de. Animabus Purgatorii. Quia ideo videtur alia ratio de Beatis, & de Animabus, quia illi ſunt jam Cæleſti gloria donati; Sed Patres, in Lymbo non erant Cæleſti gloria donati, & tamen orabant; ergo licet Animæ non ſint Cæleſti gloria donatæ, habent eamdem rationem ad impetrandum, ac Patres in Lymbo. Præterea ex Aug. Bernardin., & communiter ex DD. ut ſupradiximus, manifeſtantur Animabus Purgātibus vel à Deo, vel ab Angelis noſtræ neceſsitates, vel orationes; ſed ſi ipſæ non poſſent orare, nec haberent vim impetrativam pro nobis, hæc revelatio vel eſſet o-

tio-

tioſa, vel certiſſime tormentoſa. Quale enim tormentum videre neceſſitatem conſanguinei, amici, &c. videre eum item te ſupplicantem; quin etiam tibi ſuffragantem; & non poſſe ei ſuccurrere? Ergo Deus, vel Angeli revelant hæc, ut Animas magis crucient? Quis hanc novam pænam in Purgatorio excogitavit? Nullus Patrum, quem viderim, nullus Doctor. Si ergo S. Auguſtinus, & cæteri poſt eum affirmant Animas illas poſſe noſtra ſcire; nō utique ut ſciant ad tormentum, ſed ad impetrandum nobis ſublevamen. Præterea ſi aliquam ob cauſam neganda eſſet in Animabus oratio pro nobis, maxime quia earum oratio nec meritoria eſt, nec ſatisfactoria; Sed etiam oratio Beatorum non eſt meritoria, nec ſatisfactoria; & nihilominus orant pro nobis, igitur nihilominus Animæ Purgatorii orant pro nobis.

CA-

CAPUT XI.

Obiectiones Solutæ.

135. *D.* CErtum eſt, quòd ad hoc ut aliquis oret pro nobis, debet cognoſcere duas res. Primò debet cognoſcere noſtras orationes; ſecundò debet cognoſcere noſtras neceſsitates, pro quibus ſublevandis oramus; igitur Animæ illæ non orant pro nobis, quia illas hæc ignorare docet *S. Aug. in l. de cura pro Mor. cap.* 13. *dicens. Si igitur dereliquerunt nos Patres noſtri, ut dicit pſ.* 26. *quomodo noſtris curis, & rebus interſunt?* Et paulo poſt. *Quomodo mortui vivorum rebus, atque actibus cognoſcendis, adiuvandiſque miſcentur?* & infra concludit. *Ibi ergo ſunt Spiritus Defunctorum, ubi non vident, quæ aguntur, atque eveniunt in iſta vita hominibus.*

136. *M.* Attende. Alia eſt noti-

titia neceſſitatis; Alia eſt notitia orationis. Poteſt enim aliquis ſcire, vel per dictum alterius, vel per propriam inductionem neceſſitatem Petri, abſque eo quòd ſciat ejus ſupplicationem, vel quia Petrus non orat, vel quia orat abſens. Orationem vero alterius nemo poteſt ſcire, abſque eo quod ſciat neceſſitatem ſaltem implicite; quia nemo petit, niſi deſiderans, & nemo deſiderat, niſi quod deeſt. Inſuper alia eſt notitia neceſsitatis ſimul, & orationis; & eſt quando ſupplicatus utraſque cognoſcit. Igitur iſtæ tres notitiæ, ideſt, vel neceſsitatis, vel orationis, vel utriuſque [nota bene] poſſunt haberi aut per propriam intereſſentiam cognoſcentis; ideſt quando ſupplicatus eſt realiter præſens ſua propria perſona neceſsitati, vel orationi, vel utrique: & utique poſſunt haberi per alia media apta ad cognoſcendum, ut per argumen-

mentationem, revelationem, &c. His certiſsimis fundamentis poſitis dico, quòd ad hoc ut aliquis oret pro nobis, non eſt abſolute neceſſaria cognitio orationis noſtræ; quinimmo excellentioris charitatis inditium eſt, non expectare poſtulari, ſed eò ſponte currere, ac ſuccurrere, ubi innoteſcit neceſsitas: cum igitur illæ Animæ ſint erga nos maxima prędita charitate, non habent neceſſe ad intendendum pro nobis, expectare cognitioně noſtræ ſupplicationis; ſeu notitiam habere, quòd nos eas oremus. Conſidera nos viatores. Nos, inquam, viatores nō videmus eas ad nos orare; quin immo juxta mentem ſententiæ negativæ nec orant, nec poſſunt, nec volunt orare, & tamen, quia aliunde ſcimus eas eſſe in neceſsitate, pro eis oramus, igitur cum polleant charitate noſtra majori, ipſæ quoque orant pro nobis, etiam non cognita noſtra

ſtra oratione. Adde, quod exiſtens in neceſſitate præſumitur velle adiuvari quocumque medio poſſibili, igitur Animæ illæ, quorum ſciunt vel in genere, vel in ſpecie, vel in individuo neceſſitates, hos præſumere debent orantes, ergo [quatenus aliqua orationis notitia requireretur] cum notitia neceſſitatis habent notitiam orationis, ſi non explicite; ſaltem implicite, vel præſumptive: igitur ad hoc ut orent pro nobis, non eſt neceſſe, quòd illis pateſiât preces noſtrę. Quòd eo vel maxime patet de earũ Benefactoribus. Nam poſſunt putare Fideles ideo eis benefacere; ſicut ipſæ cum viverent in Mundo benefaciebant; eo fine ut ab eis omne poſsibile adiutorium retribueretur; ergo præcipue pro Benefactoribus habent notitiam ſaltem præſumptivam orationis eorum ad eas; ſed ut diximus, oratio præſumpta ſufficit in maxime cha-

charitativo, qui non expectat orari explicite: ergo non videre explicite orationem non impedit, quia orent pro nobis. Quòd ſi tenaciter velis neceſsariam eſſe cognitionem orationis; poſſem dicere; quod iſtæ noſtræ orationes demonſtrantur Animabus aliquo ex illis modis, quibus per S. Auguſtinum, & alios ſuperius diximus, demonſtrantur Animabus ea, quæ in hoc Mundo fiunt; nam Authoritates illæ non ſolum probant, quòd vel per Animas illuc adeuntes, vel per Angelos, vel per revelationem patefiant Animabus neceſsitates noſtræ, ſed noſtræ orationes.

137 *D.* Quid igitur reſpondes ad difficultatem propoſitam?

M. Dico verum eſſe, quòd ad hoc ut aliquis oret pro nobis, neceſſe habet ſcire neceſſitates noſtras; (ſcire Orationes noſtras explicite diximus, quod non eſt neceſſe) ſed non eſt neceſſe, quòd

no-

notitiam harum neceſſitatum noſtrarum acquirat per ſui intereſſentiam; Sed ſufficit, quòd cognoſcat neceſſitates aliquo alio medio apto ad cognitionem habendam. Non enim ſola Perſonalis intereſſentia alicujus facit venire in cognitionem neceſſitatis alterius; quia hæc cognitio poteſt haberi per argumentationem, per auditum, per revelationem, &c. ideoque licet Animæ illæ perſonaliter non interſint noſtris rebus, non obſtat, quin habendo per alia media cognitionem neceſſitatum noſtrarum, poſſint orare pro nobis. Exemplum. In longinqua regione reliqui domum, & Patrem meum, & ſcio per experientiam per memetipſum ibi habitam, quòd in Regione illa eſt frigus, inopia, aer inſaluber in comuni; inſuper audio per Nuncios; vel Epiſtolas iai graſſari Peſtem, Hæreſim, Bellum, &c. ergo quia Perſonaliter

his

his neceſſitatibus comunibus, quas experientia ſcio ibi pati, ut ab eis ſerventur Perſonæ vel in genere, ut incolæ illius loci; vel in ſpecie; ut Prælati, Religioſi, &c., vel in individuo; ut Pater meus; ſaltem ſub conditione ſi ibi adhuc maneat? Multo magis ſi audio ſpecialia mala alicui eveniſſe; Numquid ad orandum pro eo, vel eis, neceſſe eſt, ut præſentialiter interſim his indigentiis, & indigentibus? Igitur etiamſi Animæ Nos reliquerint, ac rebus noſtris non interſint, non ideo non orant pro noſtris indigentiis comunibus, & ſibi alias notis ad favorem Perſonarum in genere, in ſpecie, & in individuo; ſed etiam cum aliquo ex prædictis modis hæc eis pateſiunt, orant pro noſtris calamitatibus, & Perſonis individualibus. Quòd eo, vel magis militat in Benefactoribus, nam licet indigeant aliquo ex toties antedictis modis ad ſcien-

ſciendum illum eſſe Petrum, Franciſcum, &c. tamen non indigent ad ſciendum eſſe Benefactorem, quia experientia docet ſentientes ſublevationem, & orant pro eo, vel eis, quisquis ille ſit, vel illi ſint, quæ oratio acceptatur à Deo pro hoc, vel illò determinato, qui talia fecit ſuffragia. Ergo non cognoſcere per intereſſentiam præſentialem non impedit eas orare pro nobis. Vide à ſimili. In hoc Mundo non ſolum quiſque privatus Fidelis, ſed nec tota ſimul Eccleſia militans (ſine ſpeciali revelatione) ſcit neceſſitates Animarum illarun in individuo. Scimus cruciatas eſſe pœna damni, & pęna ſenſus per ignē; cęterum in qualibet Anima qualis, ac quanta ſit hæc pœna pœnitus ignoramus: & tamen Eccleſia non ſolum precatur pro Animabus in genere, vel in ſpecie, ſed & in individuo. Ergo Animæ illæ etiam ſi ignoraſſent neceſſita-

tes

tes in individuo, attamen pro nobis orarent in individuo, ideſt pro Perſona hac, vel illa. Quanto magis quando aliquo ex modis à S. Auguſtino, & S. Bernardino aſſignatis cognoſcunt [quòd videtur eſſe ſemper, & ordinarie, ut diximus *num.* 132.] hanc, vel illam neceſſitatem, hujus, vel illius Perſonæ, quid prohibet eas orare pro neceſſitate, & Perſona individuali?

138 *D.* Jam video, quòd ſicut tota hæc objectio ex illo textu S. Auguſtini deſumpta eſt; ita correlative ad hanc doctrinam auctoritati illi reſpondebis.

139 *M.* Equidem dico, quòd mens S. Auguſtini eſt; quòd mortui noſtra non cognoſcunt per intereſſentiam; non vero quòd non cognoſcant per alia media apta ad noſtra cognoſcenda. Omnis ſchola docet, quòd licet Anima ſit ſpiritualis, nihilominus cum ſit virtutis finitæ, & limitatæ ad

hoc

hoc ut cognoſcat aliquod obiectum naturaliter intuitive; oportet, ut accedat in debita diſtãtia; ac interſit rei, vel perſonæ cognoſcendæ; conſiderata ergo à S. Auguſtino activitate naturali Animarum dicebat eas noſtra nõ cognoſcere; quia pro hac activitate exercenda requiritur proportionata rebus intereſſentia, quam Animæ illæ nequeunt exercere propter diſtantiam Purgatorii in quo ſunt incluſæ ab hoc Mundo. Et ne meo Marte videar explanare S. Auguſtinum, audi eum explicantem in hoc ſenſu de Animabus Beatis *Bellarm. tom. 2. l. 2. de Purg. c.20. Ad ſextum dico. Auguſtinum loqui in eo capite de cognitione, & converſatione naturali, id enim ſolum contendit; Mortuos non verſari nobiſcum, nec eſſe ſollicitos de rebus noſtris, nec eas cognoſcere, ſicut faciebant, cum hic viverent*; Quòd oſtendit per alia verba eiuſdem

S. Aug.

S. Aug. l. c. c. 16. dicentes. *Quoniam defuncti per naturam propriã vivorũ rebus intereſſe non poſſunt.*

140. *D.* Aliam habeo difficultatem. Non opponam quòd Animæ illæ non ſunt liberæ, ideſt non permittuntur accedere ad Dominum, ideoque videntur nõ poſſe pro nobis eum orare; quia ſuppono, quòd, ſicut ſupra, reſponderes; quòd acceſſus ad Deum prohibitus Animabus ab incarceratione in Purgatorio, & pæna damni eſt acceſſus ad Deum fruendum, & non ad Deum orandum; ſicut nos viatores privamur accedere ad Deum fruitione, non oratione. Ideoque validiorem opponam objectionem deſumptã ex eo, quòd ad hoc ut aliquis oret pro alio, debet eſſe præſtantior illo, ſed Animæ illæ non ſunt præſtantiores nobis, quia ſunt in ſtatu nec merendi, nec ſatisfaciendi, ſed tantum ſatiſpænandi; Nos autem, qui utrumque habemus

mus in ſtatu excellentiori ſumus, igitur quomodo poſſunt orare pro nobis?

141. *M.* Si verum ſit, quòd orans pro alio debet illo eſſe prę-ſtantior, equidem hæc præſtantia debet eſſe in ordine ad impetrationem; itaut ſit excellentior ex ea tantum excellentia, quæ reddit illum exauditione digniorem, ac ille, pro quo orat. Unus inquā poteſt eſſe præſtantior altero variis excellentiis; v. g. dignitate, opibus, potentia, &c. ſed in gratioſitate apud Deum erit eo præſtantior homo infimæ plebis. Ad impetrandum à Deo gratias quis horum erit aptior? Ideo licet ex parte meriti ad promerendā gloriam, & ſatisfaciendi in forma Eccleſiæ nos ſimus in ſtatu excellentiore, quam Animę Purgatorii, attamen in gratioſitate apud Deum ſunt præſtantiores nobis, quia in gratia ſunt confirmatæ, igitur ſi ſunt præſtantiores in eo, quòd

quod dat orationi vim impetrativam, quæ eſt gratia; poſſunt orare pro nobis, qui in hoc ſumus eis inferiores. Dixi, ſi verum ſit, quòd orans debeat eſſe præſtantior eo, pro quo orat, quia brevius, & clarius expeditur hęc difficultas negando abſolute neceſſitatem hujus majoris excellentiæ; ſicut eam nego cum *Bellarmin. l. 2. de Purg. c.* 15. Tum quia *Nos oramus pro Epiſcopis, & Summis Pontificibus, qui ſunt nobis ſuperiores.* Tum quia Fidelis particularis poteſt orare pro tota Eccleſia militante, nec ea eſt ipſe excellentior, etiam in gratioſitate apud Deum. Tum quia ſequeretur, quòd aliquis juſtus viator minoris gratiæ non poſſet orare Deum pro neceſſitate alterius, qui gratia majori præditus foret, atque ſic, cum in hac vita neſciamus, quis noſtrum ſit in gratia majore Dei; equidem neſciremus, cui nos commendare, ut oret

pro nobis: quòd eſt contra praxim totius Populi Catholici, in quo unus ſe commendat alteri, ut oret pro ſe, nil cogitando, an ille ſit ſe gratia præſtantior. Et licet quiſque cogitet alium ſe eſſe meliorem, non ideo ſequitur, quòd ita ſit à parte rei, ac in rei veritate; quod cum neſciamus, redit quod diximus, quod ſemper ambigui eſſemus, cui nos commendare, ut oret pro nobis. Si aliqua Regina detineretur in carcere, cujus claves apud Cuſtodem Ordine Regis conſervarentur, quis unquam aſſerat, quòd Regina Cuſtodita non ſit præſtantior Cuſtode carceris, atque gratioſior apud Regem ad gratias obtinendas? Animas illas detinet Rex Regum in Carcere Purgatorii, nobiſque claves dedit ſuffragiorum, quibus eis præſtare poſſimus auxilium illud, quod ipſæ ſibi pręſtare nequeunt; ideo ergo ſumus Animabus illis præ-

præſtantiores? Et quatenus eſſemus conſiderati præciſe ut Cuſtodes carceris, & Reginæ illæ conſideratæ reduplicative, ut incarceratæ, non ſequitur, quod non poſſint orare pro nobis, quia hæc præexcellentia non eſt neceſſaria; ſed inferior, etiam inferior in gratia poteſt orare pro neceſſitate alterius, etiam præſtantioris gratiæ.

142. *D.* Tua venia, durus videtur hic ſermo, quia Animæ illæ ſunt in Purgatorio, nō ut Reginæ, ſed ut Reæ. Et quiſnam juſſu Regis in carcere conſtitutus ſupplicabit eum pro aliùs liberatione? quis vinctus aliena vincula ſolvet? quis unquam audivit Reum gementem ſub Iudicis ſupplicio rogaſſe pro alterius ſalute? Quòd Reus ipſe ab Iudice pro ſe veniam petat, facilè admitteretur, ſed quòd eo ipſo tempore, quo punitur, veniam petat pro

alio, non tantum improprium, & indecorum, ſed audaciæ genus eſſe, & impudentiæ ſcriptum invenerim.

143. *M.* Ante reſponſionem, quæro à te. An nos miſeri viatores in hoc ſtatu naturæ lapſæ ſimus ſub Iudice, & tamquam Rei ſolvamus pænas actualis peccati, & originalis? utique ita eſt. Quinimmò Animæ Purgatorii, quæ dicuntur partim eſſe in termino, & partim in via; ex ea parte dicuntur in via, quia viam hanc miſeriarum, & pænarum, quam cum nobis viatoribus calcaverũt pænitus non terminaverunt. Igitur nos Rei, carcere corporis conſtricti, innumeris ſuppliciis afflicti, & maxime pæna ignorãtiæ amicitiæ Dei, & periculi eum offendendi; Nonne oramus comunem Iudicem, ut eripiat alios à malis? Quanto magis ergo Animæ illæ, quæ confirmate in gratia carent noſtra pæna ſupradictam?

ctam? Qua fronte? qua impudētia? qua audacia oramus? Neutiquam indecorum, & impropriū eſt nobis orare pro aliis, ſed charitatis actus, & miſericordiæ. Cenſuræ iſtæ habeant locum in Reo actualiter Iudici infenſo; non autem in Animabus, quæ licet puniantur ut Reæ, ſunt tamen tales Reæ, quæ dimiſſa culpa non ſolum patienter, ſed hilariter; non ſolum hilariter, quin ob ſolum principaliter Motiuum tam bono Iudici ſatisfaciendi ſubſtinent inflictas pœnas. Scimus nos, & ſciunt Animæ illæ, quòd Iudex noſter cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur; ſcimus, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus, ſcimus, quòd eſt multum miſericors, ideo licet in ſuppliciis poſiti, eum oramus etiam pro aliis. Quis Rex negabit munera medico curanti vulnera filiæ ſue dilectę, eoquia filia ob culpam ſuam infirma-

ta eſt, & in infirmitate poſtulavit pro medico munera? Ad quem ibimus (ſi genus eſt audaciæ) niſi ad Iudicem ipſum Deum Patrē noſtrum, cum tribulantur fratres noſtri? Oramus ergo pro aliis, & Animæ orant pro nobis, licet in pœnis utrìque poſiti, alter alterius onera portantes. Si captivo Tobiæ dedit Salmanaſar poteſtatem in utilitatem concaptivorū, unde *pergebat ad omnes, qui erant in captivitate, & monita ſalutis dabat eis. Tob. c. 1. 13.* Si carcerato Ioſepho Princeps carceris *tradidit univerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur. Gen. 39. 22.* Etiam orandi pro nobis facultatem negabis gementibus illis captivis, & carceratis filiabus, & Sponſis tuis Domine Deus, de cujus pietate aſſerit *S. Io: Damaſc. or. de fidel. def.* in inicio. O *Sapientes viri perveſtigate quæſo, atque iſtud diſcite; Magnum quidem Dei omnium Domini metum*

eſſe,

eſſe, verum multo majorem bonitatem, & horrendas quidem, ac pertimeſcendas minas eſſe: Cæterum ipſius benignitatem nulla conjectura percipi poſſe, ac denique in ipſius ſententiis, ac ſuppliciis, quamquam terroris multum inſit; rurſus tamen miſerationum ipſius pelagus omnem orationis facultatẽ ſuperare.

144. *D.* Loquar adhuc; ne dedigeris; ut veritas clarius elucefcat, & replico, quòd licet nos viatores, & Animę Purgantes ſimus ſub ſupplicijs ęterni Iudicis; tamen non currit paritas, quod ſicut nos nihilominus poſſumus orare pro aliis, itaet Animę poſſint orare pro nobis; propter varias differentias, quę vertuntur inter Animas, & nos.

145. *M.* Adduc ergo iſtas differentias.

146. *D.* Prima eſt, quia in viatoribus pęnę, & culpę non ſunt continuę, ſed ſępius intermittuntur.

147. *M.* Reſpondeo, quòd ſi loquamur de pęnis viatorum in genere, hę quidem ſunt continuę, v. g. In intellectu naturalis ignorantia veri, in voluntate propenſio ad malum, &c. quinimmo de pænis in individuo etiam crederem eas poſſe dici continuas in individuo vago; ideſt ſi non affligimur hac, affligimur alia calamitate; v. g. Ceſſante infirmitate, accedit paupertas; hac ſublevata ſubintrant moleſtię animi, &c. Ideoque propoſitio illa de non continuatione penę in nobis debet intelligi de una pęna individuali, quia certe non ſemper affligimur illa; ſed hoc etiam militat in Animabus, quibus pęna ſenſus individualis minuitur quotidie, vel per ſatisfactionem, vel per ſuffragia: immo Animę ſunt in hoc melioris conditionis, ac nos; quia in eis pęna ſemel minuta non iterum creſcit; & ceſſata nō iterum aggreditur, ut evenit nobis;

bis; ergo ſi per te diſcontinuatio pęnę in nobis eſt cauſa orandi pro aliis, multo magis erit in Animabus. De culpis vero manifeſta eſt falſitas diſparitatis, quinimmo adducta diſparitas probat oppoſitum, ideſt Animas poſſe orare pro nobis. Si enim in nobis diſcontinuatio culpæ operatur, ut poſſimus orare pro aliis, quanto magis in Animabus, in quibus eſt totalis culparum ceſſatio, nec unquam reiteratio.

148. *D.* En igitur alia diſparitas; quia in nobis pænæ, & culpæ ſunt remiſſibiles per proprios actus, non ſic in Animabus.

149. *M.* Bone Deus! Nonne quantum ad remiſſionem culpæ ſunt nobis fæliciores Animæ illæ? culpæ noſtrę ſunt remiſſibiles, ſed Animarum culpæ ſunt remiſſæ. Quis felicior ille, cui eſt remiſſibilis, an ille, cui remiſſa eſt culpa? Quantum ad remiſſionem pænæ, quænam diſparitas inter nos, &

Animas in ordine ad impetrandũ pro alio? Pęna viatoris eſt remiſſibilis per propriam ſatisfactionem; pæna Animarum per propriã ſatisfactionem: Verum enim vero remiſſibilitas pænę ex quacumque via procedat, non operatur, quin ille, qui patitur; dum patitur, non ſit in ſtatu pænali; igitur ſi ſtatus iſte non impedit viatori orare pro aliis, nec impedit Animabus orare pro nobis.

150. *D.* Accipe ergo aliam diſparitatem. Culpæ noſtræ non concipiuntur ita à viatore, ut vereatur accedere ſuppliciter ad Deum; Anima vero ſeparata taliter cognoſcit fæditatem culpæ ſuæ, ut etiamſi poſſet accedere, non accederet, etiam minima culpa nondum expiata.

151. *M.* Quomodo non te pudet iam tertiò ex parte culparum aſſignare differentiam inter nos, & Animas? Equidem nos nõ concipimus culpas, ut vere ſunt; ſci-

mus

mus tamen etiam veniales eſſe, offenſam ſummi boni; ſed ex hoc ſequitur oppoſitum. Nam ſi nos pleni undique culpis audemus orare *D*eum pro aliis; quanto magis Animæ, quæ omnis culpæ ſunt expertes?

152. *D.* Igitur ex aliis capitibus aſſignare conabor, non obſtinationis, ſed capacitatis gratia, diſparitatem, propter quam nos poſſimus pro aliis, Animæ nequeant pro nobis orare. Diſparitas ergo erit, quia nos, qui ſumus in Mundo, ſumus in via, quæ vero in Purgatorio, non ſunt abſolute in via, neque in termino; ſed in medio.

153. *M.* Reſponſionem ſupra tetigimus, quod ideo Animæ ſunt in medio, quia partim ſunt in via. Sed quare dicuntur partim in via? quia adhuc ſubiectæ pœnis non pervenerunt ad terminum gloriẹ. Unde concluditur ad oppoſitum. Quod ſi viatores

licet

licet ſub pena poſſunt orare pro aliis, poterunt etiam Animę, quę pariter ſunt in via.

154. *D.* Adhuc differentiam invenio. Animæ noſtræ in hoc Mundo ſunt liberæ, in Purgatorio autem ultricibus flammis alligantur.

155. *M.* Quod nos ſimus liberi, Purgantes autem flammis alligentur, eſt prorſus improprie dictum. Locus ille ſubterraneus carcerat Animas, ſicut locus, ſeu ſuperficies orbis terraquei, & aer, quo circumdamur alligat nos; ideſt ſicut illæ non poſſunt inde exire, ita & nos de iſta ſuperficie Terræ; quinimmo majorem illo carcerem ſuſtinet Anima noſtra; quia etiam carceratur in corpore. Cæterum flammæ Purgatorii proprie non carcerant, ſed cruciant Animas; ſed etiam nos ſi non flammis, ab aliis ærumnis cruciamur, ergo licet in nobis poſita limitatione loci, & cala-

mi-

mitatibus tantis, accedimus ni-
hilominus ad orandum pro aliis;
hoc pariter poterunt Animæ illæ
pro nobis.

156. *D.* Tandem unam affe-
ram differētiam. Diſparitas, pro-
pter quam nos quidem poſſumus,
Animæ vero nequeunt orare pro
aliis, erit forſan; quòd viatores
Deum habent miſericordem, &
volentem omne præſtare benefi-
cium; Animæ vero Deum habent
juſtum, & volentem in eas exer-
cere omnem iuſtitię rigorem; ide-
oque ad viatores dicitur *Ante
mortem confiteri*. De Purgantibus
vero. *A mortuo quaſi nihil perit
confeſsio*. Quaſi dicat. Quod
deprecatio ante mortem utilis
erit; poſt mortem verò quaſi ni-
hil peribit; ſeù non erit.

157. *M.* Quod in nos viatores in-
explicabilis ſit Miſericordia Dei,
& voluntas ad omne beneficium
ita eſt, & ò quam liberaliter a-
mabiliſſime Deus! Sed quomodo
nul-

nullam miſericordiam pro Purgatorio reſervaſti? Si tanta Bonitas erga nos tam frequentibus peccatorum maculis inquinatos, quin ſæpe ſępius tuos inimicos; quare nulla miſericordia tuis filiabus, tuis amicis, tuis Sponſis? Abſit. Ad quid enim excitat fideles ad ſuffragia ordinaria inſpiratione, & toties ad extraordinaria ſuffragia mediis etiam miraculis, & apparitionibus? Si ergo bonitas Dei uſque huc ſe extendit, quomodo in Purgatorio nulla miſericordia? Sed quidquid ſit de hoc: Nonne quando viatores ſunt ſub pæna, vere patiuntur, ſicut Animæ Purgatorii, quando ſunt ſub ſua pæna? Igitur ſi pæna, ſeu ſtatus pænandi nobis non impedit gratioſitatem, qua mediante exaudiamur pro alio, multo minus impediet Animas, quæ in hac gratioſitate ſunt confirmatæ; & ideo nobis fælicior es. Ideo ad illud *Ante mortẽ*

con-

conſitere, quia *à mortuo tamquam nihil perit confeſsio*. Reſpondetur hoc intelligendum eſſe; quod ſolum in hac vita detur oratio, quæ ſit meritoria glorię; & placet dicere cum S. *Bernardin. tom.* 2. *Serm.* 63. *art.* 2. *cap.* 1. *Licet hi qui in Purg. ſunt graviſsima patiantur tormenta*, *tamen melior eſt*, & *fælicior ſtatus eorum*, *quam illorum qui ſunt in Mundo*, *ideo Eccl.* 4. 2. *Laudavi magis mortuos*, *quam viventes*.

158. *D.* Fateor ergo, quòd vere ſtatus pęne non impedit, quòd exiſtens in tali ſtatu, ut ſunt Purgantes, nequeat orare pro alio.

159. *M.* Nihilominus ad majorem confirmationem addo. Quòd de fide eſt, quòd SS. Patres in Lymbo orabãt pro aliis. Habetur in 2. *Mach. c.* 15. 14. *de Hyeremia*. *Hic eſt fratrum amator*, & *Populi Iſrael*; *hic eſt qui multum orat pro Populo*, & *univerſa Sancta Civitate*

tate Hyeremias Propheta Domini. Et tamen erant ſub pœna; & non ut filii; quia filii, ut filii reduplicative amantur; ergo ut Rei, illo inquam reatu, in quo ex Apoſtolo ad *Epheſ.* 2. 3. *Naſcimur filii iræ*, & ex Pſalmiſta *pſ.* 50. *In peccatis concepit me mater mea.* Igitur ſtatus pœnæ, in quo aliquis detinetur etiam ut Reus, non impedit orare pro aliis, ergo & Animæ orant pro Nobis.

160. *D.* Quoniam de Patribus in Lymbo feciſti ſermonem, placeat tibi, quòd adducam diſparitates aliquas, ob quas poterant illi orare, & non Animæ Purgatorii. Prima eſt, quòd in Lymbo majori fruebantur quiete, ac ſecuritate. Secunda, quia erant in ſtatu laudandi, & contemplandi Deum. Tertia, quia omni carebant macula. Quarta, quia nulla afficiebantur pœna, & afflictione.

161. *M.* Reſpondeo has differen-

ren-

rentias non impedire Animabus orare. Non *prima*, quia maior, & minor quies (de ſecuritate non loquor, quia etiam Purgantes ſunt de Paradiſo ſecuræ) non impedit orare ſimpliciter; Sed attentius; & hoc forſitan ſolum in nobis, in quibus Anima ob ligamen ad corpus abſtrahitur à doloribus, & ab amore ſui, ut diximus *num.* 44., *& ſeqq.*; ideoque ſi pœna damni non inquietabat S.S. Patrês taliter, ut non orarent; nec poteſt inquietare S. S. Animas, & multo minus pœna ſenſus, quæ minor eſt pœna damni; poteſt eas abſtrahere, ne orent pro aliis. Non *ſecunda*. Quia etiam *S. S.* Animæ in Purgatorio ſunt in altiſſima contemplatione, ut aſſeruimus ex *Suarez num.* 61., & laûdant Deum ſeu cantant, & plangunt, ut diximus ex S. Bernardino *num.* 48. Non *tertia*. Quia etiam Animæ carent omni macula culpæ. Et ſi ali-

aliquam maculam habeant relictam à culpis prçteritis, quam non habebant Patres in Lymbo; dico quòd iſtæ maculæ, non ſolum à culpa relictæ, ſed quòd majus eſt, maculæ, quæ ſunt etiam veniales Culpæ non impediunt viatores, quin orent pro aliis, multo minus illæ relictæ à culpa, quç in Purgatorio expiantur. Non tandem *quarta*. Pro qua paulo altius effodiendo; Neſcio, an poſſit cum veritate dici S. S. Patres caruiſſe omni pœna. Carebant quidem omni pœna ſenſus, attamen afficiebantur pœna damni. Quòd ſi non afficiebantur afflictione, ſeu triſtitia; Memento, quòd S. Auguſtinus ait, quòd triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidit, ideoque cum ipſi eſſent perfecte conformes divino beneplacito, nolebant glorificari ante Chriſtum paſſum, ideoque quia iſta carentia viſionis Divinæ non erat nolita, non poterant ha-

habere triſtitiam. Atqui Animæ Purgatorii paritèr nolūt gloriam ante Divinum Beneplacitum; ideoque neque ipſæ triſtantur de pœna damni; quinimmo de pœna ſenſus, quia æquo, & hilari animo eam tolerant. Sed ſicut non ideo, quia non triſtantur, non ſequitur, quòd inexplicabiliter nō doleant; pariter non ſequetur ex privatione triſtitię, quòd SS: Patres non eſſent in ſtatu pęnę. Nec poteſt dici; quòd etiam Paruuli in Lymbo ſunt in ſtatu pęnę, nec tamen dolent. Quia Paruuli ſunt in ſtatu pęnę tantum materialiter, Deus enim non ſinit eos cognoſcere ſe ordinatos ad gloriam, itaut ſciant quidem eum eſſe ſuum Creatorem, ſeu primum principium, non autem glorificatorem, ſeu ultimum finem, & ideo cum Animæ Paruulorum non cognoſcant ſe habere aptitudinē ad æternam Beatitudinem, nulla formali pęna afficiuntur, ſicut afficee-

ficerentur, ſi cognoſcerent ad eam ſe ordinatos eſſe, & privari. Sed SS. Patres non ſolum cognoſcebant ſe eſſe ordinatos ad tendentiam ex humanitate, ſed deſtinatos ad attingentiam ex gratia; & interim à poſſeſsione excluſos; ideo licet conformatio cum Divina voluntate impediret in eis triſtitiam, non tamen ponebat eos extra ſtatum pene. Igitur ſi ſtatus pęnæ ſine triſtitia in eis non impediebat orare pro aliis, ita & in Animabus eamdem pænam, & inſuper pænam ſenſus ſine triſtitia, & cum perfecta uniformitate ad voluntatem Dei tolerantibus non debet impedire orare pro nobis.

CAPUT XII.

An Viatori conveniat orare ad Animas Purgatorii?

162. *D.* SCio, quòd catholicus in ſuis neceſsitatibus

bus ſe commendat vel Deo, ut poſtulata donet, vel Beatis, ut poſtulata impetrent, vel viatori, ut pro poſtulatis oret. Scio quoque, quòd a Theologis una cum Eccleſia propter maximam differentiam, quam recognoſcunt inter Deum, Beatos, & viatores; actus ille, quo Homo ſe eis commendat, ſi fiat Deo, vocatur proprie oratio, ſi fiat Beato, vocatur oratio genericè, & invocatio; ſi fiat viatori, non vocatur oratio ullo modo, ſed rogatio, vel deprecatio. Scirem ergo libenter, ſi pariformiter nobis liceat, aut conveniat nos commendare etiā Animabus Purgatorii. Quidquid, ſit an ille actus, quo homo ſe eis cōmendat, debeat vocari oratio, aut invocatio, rogatio, poſtulatio; commendatio, petitio Non enim quæro de nomine talis commendationis, ſufficit nobis, quòd intelligatur nos loqui Catholice. Nota etiam quòd intelligo

ligo de oratione privata. *Oratio publica ſcio, quod eſt illa, quæ nomine totius fidelis Populi per Miniſtros Eccleſiæ Deo offertur; oratio vero privata eſt, quam ſinguli privatim quocumque decenti modo peragunt. ex Reiuf. Theol. mor. tr. 5. q. 5. n.* 47. Senſus ergo quæſiti mei eſt; An viatori, non ut Miniſtro Eccleſiæ conveniat orare ad Animas Purgatorii; vel viceverſa, an Animabus Purgatorii conveniat orari à viatoribus, ſed nō ut Miniſtris Eccleſiæ.

163. *M. Viatori convenit orare ad Animas Purgatorii, ſeu eis ſe commendare.*

164. *D.* Profer auctoritates, ſi quas habes.

M. Iob. cap. 42. 8. Deus dixit amicis Iob, ut ſeipſos Iob commendarent. *Ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam.* Quòd Iob in tormentis fuerit figura Ani-

nimarum Purgantium,nullus dubitat, quin & Eccleſia in eo proponit figuram Animarum illarum in officio Defunctorum, ergo amici, qui ad eum ire debebant, ſunt figura Fidelium,qui ad orationes, & interceſſiones Animarum Purgatorii confugere debent. S. Ambroſius an ſit in hac ſententia non aſſero, tu cogita. eius hæc verba oratione in obitu ipſius ſuiSatyr(ab Eccleſia veneratur ut Sanctus] in fine ſe ei cōmendans ait. *Quod ſi tunc* (vivens) *ſollicitudinis meæ tædia repellere, mæſtitiam fraternæ mentis ablevare properabas; quanto nunc crebrius afflictum Animum reviſere, & ex te conceptum, per te lenire mærorem.* Et paulo inferius ei defuncto commendans Sororem ſuam ait. *Conſolare ergo, qui potes adire animam, penetrare mentem; cernat te eſſe præſentem; ſentiat non eſſe Defunctum.* Nec dicas eum ſupponere in Cœlo;

quia ſi ſupponit eum in Cęlo, quare poſt hæc, orat pro eo, & concludit orationem illam ſuffragio ſic? *Tibi nunc Omnipotens Deus innoxiam* (Satyri) *commendo Animam, tibi hoſtiam meam offero. Cape propitius, ac Serenus fraternum munus Sacrificium Sacerdotis.* S. Gregorius Nazianzenus an hujus ſit opinionis, tu lege hæc, quæ habet Oratione II. de Gorgonia [habetur pro Sancta] ſorore ſua Defuncta *nu.* 17. *in fine. Quòd ſi quid eouſque, qui tibi à nobis habentur honores curas, atque hoc præmii Sanctis Animabus divinitus contingit, ut iſta ſentiant, noſtram quoque Orationem* (funebrem) *pro multis funebribus donis, accipias velim, quam Cæſario antete, & & tibi poſt illum perſolvimus.* Nec dicas, alloqui illam ut in Cælo, quia ſi, ut in Cælo eam alloqueretur, non dubitative, ſed abſolute aſſereret tum de gaudio, tum de ſcire honores Animabus

fa-

factos, & non diceret, *ſi quid curas, atque contingat, ut iſta ſentias*. Si inſtes, quòd hi, ad quos deprecatio Ambroſii, & Gregorii facta fuit, fuerunt, ſicuti ſunt, Sancti. Accipe ergo aliam ejuſdem S. Gregorii Orationem in obitu Patris ſui, quam inter Sanctos aſcriptum nõ reperio in Romano Martyrologio. Oratio funebris eſt 19. num. 44. *Fac ſciamus qua nam in gloria ſis, quod lumen te circũſtet*, & inferius. *Cum gregem univerſum, & Pontifices omnes, quorum Pater vocaris, tum me præſertim paterne a te, & ſpiritualiter coactum, guberna*. Sed dices. Oratorem ſupponere Patrem ſuum defunctum eſſe in Cælis. Quare igitur dubitative loquens de ejus gloria, abſolute tamen Populum, & Epiſcopos ei commendat? Quid ſi vere adhuc in Paradiſo non erat? Nonne Sanctus Filius exponebat ſe periculo commendandi ſe, & alios

defunƈto Patri exiſtenti in Purgatorio? igitur abſolute ſe ei cōmendans in ea opinione videtur fuiſſe, quod vel in Cęlo, vel ſi ſaltem in Purgatorio fuerit, poterat impetrare filiis bona Cæleſtia, licitumque eis talem Defunƈtum exorare.

165. *D.* Ita; ſed affer alias auƈtoritates.

M. Suarez tom. 4. *in* 3. *partem D. Th. diſp.* 47. *ſect.* 2. *n.* 9. *Practice non dubito, quin honeſte poſſint à nobis orari Animæ illæ, & quòd poſſimus etiam fructum aliquem talium orationum, media illarum interceſſione ſperare. Tamb. de præc. Decal. l.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *Poſſunt* (Animæ) *in genere orare pro iis, qui ſibi benefaciunt, vel orationes implorant. Graſſius in Append. ad deciſ. Aur. l.* 2. *c.* 4. *n.* 26. *At quia Anima Purg. eſt ſitu, & indigentia ſub nobis non oramus, nec veneramur illam cultu duliæ, ut beatos, ſed rogamus, ut orent pro*

nobis; & citat. Gabr. l. 58. Medin. c. de or. q. 4., & inſuper à Navar*ro l. 1. c. 2. n. 9. & 11. citatur Io: à Lugo in Avviſ. ad curas cap. 35. pag. 5.* qui eſt ille Neotericus citatus à Medina, teſte eòdem Na*var. ibid. Pignatt. to. 9. conſ.* 104. *n. 8. Eccleſiæ Purgantis Animæ, ut quæ certæ ſunt ſe triumphantes ingreſſuras, & cæteroquin ſe Deo charas, & gratioſas eſſe, in eo ſtatu verſantur, in quo eas implorare, ac privatim illarum opem expoſcere poſsimus.* Bonacc. de Hor. Can. *q. 1. p. 1. n. 13. An autem Animæ in Purgatorio exiſtentes orari poſſint diſſenſio eſt inter DD., &c. Hæc opinio* (affirmativa) *mihi non videtur improbabilis, ſi de privata oratione loquamur*; & citat pro ea *Coninch. Henriq., & al P. Franciſcus à Cruce diſinganni* §.8. *pag.* 389. & 450. *Et quamvis earum orationes futuræ non ſint meriti, ſunt impetrationis, ſicut illæ Beatorum, & ſicut iſtis petimus interceſsio-*

nem, ſic eam petere poſſumus Animabus Purgatorii. Item Pignatt. tom. 9. conſ. 104. n. 5. refert, ſic S. Franc. Xaverius ſæpe illos, qui in Societate Ieſu obiere invocabat hos omnes, quos vivos novit, & quibus cum vixit ſuorum negotiorū Patronos adhibuit, faſſuſque eſt, eorum preces ſibi profuiſſe. In Cronic. PP. Ord. S. Dominic. ubi de Vita quarti ejus Ordinis Generalis agitur; refertur, Reginam Hungariæ, quæ tum vivebat magna beneficia à Deo retuliſſe, ſi cuidam, cujus conſuetudine in ſalutis negotio olim ſingulari fiducia utebatur, ſe commendaſſet. Beatus Ludovicus Beltrandus integras Lytanias è charioribus amicis, quos Cælo poſitos confidebat contexuit, eoſque ſæpe inter orandum, precabatur. Sed non eſt veriſimile, pios iſtos viatores credere certo omnes illos defunctos quibus ſe commendabant eſſe in Cælo; ſed potius prudenter ſuſpicari poterant

rant aliquos etiam adhuc eſſe in Purgatorio; Ergo eis ſufficiebat opinari, quod eſſent in loco ſalutis eternæ, ut eos invocarent.

CAPUT XIII.

Solemnis Auctoritas S. *Catharinæ Bononienſis expenditur.*

166. *D.* AUdivi S. Catharinã Bononienſem practicaſſe, & docuiſſe Orationem ad Animas Purgatorii, quare eam non adducis?

167. *M.* Cum auctoritas iſta ſolemnis adeo ſit, utpote quæ clara, & expreſsa eſt, ab aliis non ita claris ſeparavi, ut plenius eã proponam. *Ergo Pignatt. aſſerit l. 9. conſ.* 104. *nu.* 14. *Animabus S. Catharinam Bononienſem ſe; ſuaque omnia commendare ſolitum. Cur autem tanta pietate Purgantiũ opem expoſceret; hanc cauſam attuliſſe, quod videlicet Animarum, quæ in acerbiſſimis flammis illic*

expiantur precibus à Deo innumera, maximaque beneficia retuliſſet, ita ex ejus vita. Ergo, cum putandum ſit, quòd in ejus canonizatione hæc fuerint diſcuſſa, plane Eccleſia non prohibet orationem privatam ad eas.

168. *D*. Fateor quidem auctoritatem hanc multum tuæ ſententiæ favere, ſi res ſe habeat eo modo, quo eam deſcribit Pignattellus. Sed ego potius puto, quòd Sancta illa Virgo orando ad Animas Purgatorii intellexerit ad Animas, quæ jam in Purgatorio fuerant, & jam erant in Cœlo ſuffragiis ejus liberatæ; vel eo Animo eas oraſſe, ut è Purgatorio egreſſæ intercederent pro ea. Motivum meum eſt. Quia Bollandiani Principes inter agiographos non habent illa verba; quin *cap*. 12. Narrantes illius preces ad illas Animas, & ab ipſis recepta beneficia, præmittunt. *Ferventer orabat pro Animabus Purga-*

gatorii, & ad id faciendum alias hortabatur. Egreſſæ igitur Animæ ob ejus preces, ſuæ benefatrici de Cœlo patrocinabantur. Clarius ex verbis ejuſdem S. Virginis *ap. Contin. Boll. Recurro ad Animas in locis Purgatorii exiſtentes, ut meo nomine apud Deum legatione fungantur*. Ante egreſſum de Purganti carcere, quomodo fungi legatione hac poterant? quòd idem Pignattellus videtur innuere, dicendo apud Deum plus aliquando Animas potuiſſe cæteris cœlitibus. Quia alii Beati adjuvant Nos ex charitate; Animæ ex charitate, & gratitudine. Ergo ad Animas e Purgatorio extractas dirigebatur oratio Virginis, vel ſi ad exiſtentes in Purgatorio, eo animo, ut adjuvaretur ab ipſis de Cœlo; cum ibi fuiſſent.

169. *M.* Ad quid inficere verba Pignattelli, ſi ea non ſunt in Bollandianis? Accipe ergo vitam

hanc S. Catharinæ ſcriptam à P. Jacobo Graſſetti ab anno 1619. impreſſa vero Bononiæ 1654. lege in *lib. 3. c. 3. pag. 98. Teſtifica di ſe ſteſſa d' avere ottenute ſingolari grazie da Noſtro Signore per mezzo delle Anime de' morti, alle quali ſi era divotamente raccomandata, onde tanta confidenza aveva nella interceſſione di quelle Anime, che ne' ſuoi maggiori biſogni di loro particolarmente ſi ſoleva ſervire, raccomandando ad eſſe negozii importantiſſimi, e fatta queſta devozione ſi trovava eſaudita, e molto conſolata.* Igitur ſi totus ille Paragraphus loquitur de Animabus exiſtentibus in Purgatorio; etiam in iſta oratione non de ereptis, ſed de exiſtentibus loquitur. Nonne ex tua ipſa citatione continuatorum Bollandi expreſsè habes. *Recurro ad Animas in locis Purgatorii exiſtentes?* Verum eſt, quòd Sancta Virgo exhortando Moniales ad

ſuf-

ſuffragia, dicebat, quòd Animæ illæ egreſſæ de Purgatorio oraturæ eſſent pro eis: hoc habet etiã ibi Graſſettus. Sed non vides, quantum attinet ad preſentem queſtionem quòd ſemper ſtat, quòd Oratio Virginis erat directa ad Animas exiſtentes in Purgatorio. Quantum vero ad Orationem Animarum pro ſuffragãtibus, utrumque poterat ſperare, & promittere Sancta Virgo; Nempe eos orantes in Purgatorio, & oraturas in Cælo. Oraturas certe, orantes probabiliter. Quod autem adducis de Virgine ſupplicante Animas, ut ſuo nomine legatione ad Deum fungerentur; potius eſt ad oppoſitum; quia Sancta illa gratiam optabat obtinere, quando orabat, ſicut & obtinebat; igitur oratio non erat directa eo ſine, ut intercederent, poſtquam tempore ſuo elapſo egreſſæ eſſent de Purgatorio. Nonne etiam ibi

legatione hac fungi poterat? Cū Deus ſua immenſitate ſit, & in Patria Paradiſi, & in carcere Purgatorii, non eſt neceſſarium ad eum alloquendum exire de Purgatorio, & pergere ad Paradiſum. *Apte S. Bernardin. to. 3. in Rogat. Eſt oratio Nuncius fideliſsimus notus Regi, & omni Curię, qui in ſecreto noctis ſilentio per occultas, & ſibi notas ſemitas, arcana Cæli penetrare, & Cubiculum Regis adire, & ſua importunitate, & ſupplicatione pium Regis animum flectere, & laborantibus opem impetrare ſolitus eſt.* Cæterum quod ait Pignattellus de duplici motivo Charitatis, & gratitudinis, non concludit ad Animas ex Purgatorio extractas directam fuiſſe orationem. Nam doctiſſimus ille Iuriſperitus Animas exiſtentes in Purgatorio, & ſuffragatas probat orantes non ſolum ex charitate, ſed ex gratitudine. Hæc ſunt ejus verba *loc.*

cit.

cit. n. 12. *Ad hæc ſint cum primis beneficiorum memores, & nobis opitulandi charitate teneantur, quam virtutem non minus ac Animæ in Lymbo poſitæ exercere queunt, quæ pro viventibus quondam fuere ſupplices*. Quid clarius eum loqui de exiſtentibus Animabus, & nõ de liberatis. Adverte tamen, quòd non concedo etiam abſolute eſſe verum; quòd Animæ ex eo quòd liberatæ plus in Cælo poſſint apud Deum, quam alii Cælites. Sed tantum, quòd plus tenentur orare, quia ex duplici motivo charitatis, & gratitudinis, quòd optime idem Pignatellus notavit dicendo, eo quia magis *ſollicitant*. Igitur ſi Deus aliquando donavit Virgini Catharinę majora beneficia ad Orationem ad Animas, quam ad Orationem ad Beatos, ea contulit ad commendationem factam ad Animas in Purgatorio et non in Cælo exiſtentes.

170. *D.*

170. *D.* Poſſet dici, quòd gratiæ, quas fatetur S. Virgo obtinuiſſe ab Animabus, Deum diſpenſaviſſe ex ſua liberalitate, vel ad preces earum cuſtodum; non ad preces Animarum.

171. *M.* Quomodocumque ſit, licet hoc negaverimus ſuperius *nu.* 46. *in fine*, *&* *nu.* 78., *&* 120. *in fine* quatenus negat Animas orare; quatenus ad præſens ſpectat, ſi Deus gratias fecit ad Invocationem Animarum, ſequitur Deum approbaſſe orationes ad eas factas, & ad eas directas; & bonã eſſe intentionem, qua dirigimus orationes ad eas, nam hæc erat intentio Virginis in oratione ad eas.

172. *M.* Admiſſa etiam hac auctoritate; non eſſe tamen ſupremi momenti demonſtro. Primo; Teſtimonium hoc eſt ſimplex, & nulla revelatione ſuffultum. Secundo. Quia licet ſit Sanctæ Virginis, & ideo valde grave, tamen

men ei præponderant S. S. Patrum, Eccleſiæ Doctorum Sententiæ, & ejuſdem Eccleſiæ praxis contraria. Tertio, quia eſt ſingulare, nam alium Sanctum non audivi Animas illas exoraſſe,

173. *M.* Et quidem ad primum reſpondeo; quòd ſi accederet aliqua infallibilis revelatio, non faceret ſententiam probabilem, ſed infallibilem. Ad probabilitatem autem opinionis extractam à teſtimonio alicujus Sancti non eſt neceſſaria revelatio; Cum enim revelatio nõ eſſet magis certa, quam propoſitio, ſuper quam fieret revelatio, probaretur ignotum non per magis notum. Nonne plus examinanda eſſet revelatio illa, quam oratio iſta? ergo quòd non acceſſerit revelatio, non facit teſtimonium minus fide dignum. Quòd ſi cupis revelationes, accipe ab alia Sancta, nempe Birgitta, quæ audivit animas in Purgatorio orare, ut diximus

nu m.

num. 123., & nota apparitiones, & miracula, quibus paſſim ſcatent libri Aſcetici. Ad ſecundum vero dico, quòd præponderatio S. S. Patrum, & Eccleſiæ Doctorum non tollit validitatem teſtimonii. Nam cum ſit de hac re controverſia, unuſquiſque abundat in ſuo ſenſu. Nec iſta eſt prima diſſertatio, ſuper quã hinc inde tenuerint, & ſcripſerint Sancti, & Doctores, ſalva ſemper Eccleſiæ deciſione. Quòd autem dicis, quòd Sancta Virgo habuerit contra Eccleſię praxim, negabimus diffuſius in ſequentibus; Pro nunc ſufficiat Eccleſiam Orationem privatam ad Animas nunquam prohibuiſſe (quidquid ſit de oratione publica; nam de ſola privata diſputamus)quinimmò Prælatos toleraſſe, & Eccleſiæ Doctores hoc docuiſſe planum eſt. Ad tertium autem, quòd hoc teſtimonium eſt ſingulare, reſpondeat Pignattellus (ſalvo cum co-

eodem Eccleſiæ judicio) *tom.* 5. *conſ.* 41. *nn.* 4. *Si quis illud protritum,& in foro prophano intorqueat; Unus teſtis, nullus teſtis; Velim conſideret, quam multa de Sanctorum vita, & rebus geſtis unius ſolius auctoritate nitantur. Ubi enim quæ de Paulo primo Eremita,& Malcho captivo, & Hilarione, & muliere ſepties icta apud omnes rata ſunt, præterquam in S. Hyeronimi ſcriptis? ſic Sophronius unus ſolus deſcripſit vitã S. Marię Egyptiacę perpetuis contextam miraculis. Metaphraſtes, &c.*, Et eadem *conſult nu.* 3. Non ex eo *igitur quòd teſtes in hac re ſint ſingulares minorem fidem eſſe illis adhibendam cenſuit Rota in rel.* 1. *de mir. B. Therefiæ art.* 1., *& ſuper Canoniz. S. Franciſci de Paula, &c., & S. S. Bonaventuræ, Leopoldi de Auſtria S. Raymundi, S. Franciſcæ, &c.* Nec *obſtat, quòd idemmèt teſtis ſingularis aliquid dixerit de ſemetipſo. Pignattell. t.* 5. *conſ.* 34. *n.* 3.

quòd

quòd multis probat ſua ſolita eruditione. Ergo ſi S. Catharina aſſerit ſe ad illas Animas ſolitam commendare, & ab eis aliquando, qu dquid non à Cælitibus impetraſſe non ſolum conveniens eſt eas orare, ſed ad eas orare, nos poſſe.

174. *D.* Ne graveris, quod ſalva omni reverentia, exceptiones dederim Sanctæ Virginis Teſtimonio. Nonne S. Gregorius ait ad tactum dalmaticæ Paſchaſii adhuc pænis Purgatorii addicti Dæmoniacum fuiſse liberatũ? Et tamen Divus Thomas, & Antoninus ajunt eveniſſe, non precibus ſupplicati, ſed fide ſupplicantium. De Tobia autem ſepeliente mortuos, & orante; Angelus protulit; quòd ipſe Raphael offerebat ejus orationes Domino; ergo non Animæ illæ, ad quas orabat Tobias. Igitur à fortiori Sanctarum Virginum tum dicta, tum facta ad trutinam ſunt

re-

revocanda: Ait enim *S. Aug. l.* 1. *de Civi. D. cap.* 23. *Ratio ſana exemplis anteponenda eſt*.

175. *M.* Numquam gravabor propter devotionem, quam Animabus illis profiteor; inſtantias audire, & reſpondere. Equidē facta, & dicta hujus S. Virginis, utpote quæ noſtris temporibus Canonizata eſt, ad rigoroſiſſimam trutinam, & ad judicium S. Romanæ Eccleſiæ revocata ſunt. Igitur ſi hæc non fuere repulſa, ergo privata oratio ad Animas non eſt prohibita.

De Paſchaſio autem (ſuppono fuiſſe in Purgatorio) dico, quòd miraculum illud potuit fieri ad ejus impetrationem, & cum hoc ſtat ſemper quod invocatio ad Paſchaſium potuit fieri. De Tobia verò dico, quòd nullus, quē viderim, ait ejus Orationem directam fuiſſe ad Animas, & ideo hac auctoritate non ſum uſus, quia talem non fuiſſe putavi.

Sed

Sed quia reſponſio poteſt in aliquo ſimili applicari, dico quòd etiamſi oraviſſet ad Animas mortuorum, quos ſepeliebat; non ſequitur, quod Animarum eſſet; & non Angelorum offerre orationes illas Domino. Quid eſt offerre Deo orationes viatorum? Audi S. *Aug. l. 2. medit. c. 3., & Gloſ. ſuper Tob. c. 11. Dicuntur Angeli Orationes noſtras offerre Deo, non quia Deum doceant, ſed quia ejus voluntatem ſuper his conſulunt, & quod Deo jubente completum eſſe cognoverunt, hoc nobis evidenter, vel latenter reportent.* Igitur optime dixit S. Raphael Arcangelus. *Ego obtuli Orationem tuam Domino;* Et non dixit Animæ Purgatorii obtulerunt. Illæ enim ſine extraordinaria Dei diſpenſatione exequi non potuiſſent, quidquid executus eſt Angelus: Angeli vero quia ſunt *Omnes adminiſtratorii Spiritus Hæbr. num.* 14. Recte dicun-

cuntur orationes noſtras offerre Deo, & non Animæ Purgatorii, etiam nunc, quando eas oramus; Licet etiam Beati orationes noſtras poſſint præſentare Deo eo modo, quem docet *Suarez de Relig. t. 2. l. 1. cap. 11. n. 7.* Igitur ſi invocatio Animarum præſentatur, vel offertur Deo per Angelos, ideo non eſt directa ad Animas? quare autem Angelorum officium ſit, & non Animarũ orationes Deo præſentare, & offerre, diffuſius dicam *num.* 196. Accipe nunc S. Auguſtinum *loc. cit.*, & vide, quo propoſito dixerit *Ratio ſana exemplis anteponenda eſt*. Sanctus Doctor ibi loquitur de Catone, qui ſibi mortem intulit, & concludens male feciſſe, nec poſſe Gentiles ejus exemplo ſe excuſare ait, *Ratio ſana exemplis anteponenda eſt*. Sed quid ſequitur? *Cui quidem, & exempla concordant, ſed illa tanto digniora ſunt imitatione, quanto*

ex-

excellentiora pietate. Ergo auctoritas eſt ad oppoſitum; nam in Oratione ad Animas Exemplum S. Catharinæ roboratur validiſſimis, quæ ſequentur rationibus.

CAPUT XIV.

Proponuntur rationes, & ſatisfit objectionibus.

176. *D.* TAM libenter, & hilariter auctoritatibus acquievi, ut ſim impatiens audiendi etiam rationes.

M. Prima ratio deſumitur ex collectione multarum aſſertionum uſque nunc probatarum, quibus tota nititur ejus vis; atque ſic efformatur. Ad eum poteſt viator orare, ſeu illi ſe commendare, quem tenet poſſe ſua ſcire & poſſe, ac velle auxilium ferre; atqui Animæ Purgatorii poſſunt ſcire noſtras neceſſitates, & habent poſſe, & velle auxiliari; ergo ad illas poſſumus orare. Poſſunt

ſunt inquam ſcire noſtras neceſſitates vel in genere, vel in ſpecie vel in individuo; aut experientia aut revelatione, aut Angelica locutione, vel Animarum adventu, & hoc ordinarie, ut ex S. Auguſtino, & S. Bernardino oſtendimus *n.* 131., & *ſeqq.* Item poſſunt auxilium ferre, quia ſunt in ſtatu, in quo poſſunt orare pro nobis, & impetrare, quia ſunt amicæ Dei, ut probatum eſt *tot. Cap.* ix. x. xi. Inſuper habent velle nobis ſuccurrere ex charitate, qua nos diligunt, & ex gratitudine erga Benefactores; Si ergo habent ſcire neceſſitates, poſſe & velle ſuccurrere, poteſt eas viator orare. Alia efficaciſſima ratio eſt. Ad invocationem Beatorum Deus patrat multa miracula, ſed etiam multa miracula referuntur facta ad invocationem Animarum in Purgatorio exiſtentium; ut liquet ex apparitionibus, ſeu miraculis narratis a S. Greg

Pa-

Papa *l. 4. dial. à S. Petro Dam.*, *à Raynaud. heterocl. 1. p. 1. ſect. 1. & paſſim ap. Agiographos*; ergo etiam eas poſſumus invocare. Robur hujus rationis deſumitur ex eo, quòd invocatio exaudita concludit Orationem factam pro gratia à Sancto invocato; ut ex *Lezana conſ. 1. nu. 226. Pignattellus tom. 4. conſ. 109. nu. 1.*, qui teſtatur hujuſmodi invocationes ponderaſſe, ac veluti congruas admiſiſſe *Rotam in rel. S. Franc. Romanæ par. 3 art. 2. mir. 10. §. Nec refert*. Igitur ſi invocationes ad Animas exaudiuntur à Deo patrando miracula, ſi ex invocatione Sancti exaudita deducitur ejus oratio, ergo deducitur ex invocatione Animarum exaudita illas orare; ergo ſi invocamus Sanctòs, quia exaudiuntur, poſſumus invocare Animas, quia exaudiri experimur.

177. *D.* Si pares currerent rationes in Beatis, & in Animabus

ra-

ratio hæc invincibilis eſſet; Sed diſparitates maximas reperio. Prima eſt, quia quæ ſunt in Cælo Animæ equidem mereri non poſſunt, ſicut quæ in Purgatorio, Sed ex diverſo capite; Cælites quidẽ, quia ſunt in termino gloriæ, Purgantes vero, quia ſunt in termino gratiæ, ut optime *Suarez de Pœnit. diſp. 47. ſect. 2. n* 17.

178. *M* Nulla eſt ad propoſitum differentia hæc. Nam gloria non eſt radix, & formalis ratio impetrandi in Beatis; etenim etiam viatores carent gloria, & tamen pro aliis impetrant. Gloria facit, & reddit eos gaudentes, & lætantes. Amicitia, & gratia Dei eſt illa, quæ Orationi dat virtutem impetrativam; cum igitur gratia, & Dei amicitia ſint præditæ etiam Animæ Purgatorii, ideo habentes tam Beati, quam Purgantes gratiam Dei, habent virtutem impetrativam, & utrique poſſunt invocari.

179. *D.* Ergo ſaltem ex hac ſecunda differentia non poterũt orare pro aliis; quia Beati non ſolum pro aliis, ſed nec pro ſe ſatisfacere, nec pati poſſunt. Animæ vero pati quidem, & patiendo ſatisfacere poſsunt pro ſe, ſed non pro aliis.

180. *M.* Licet hoc ſit verum; ergo ſequitur, quod Animæ non poſſint invocari? Quod in uno ſit paſſibilitas, & non in alio, non impedit in eorum alterutro gratioſitatem, & amicitiam Dei; cum ergo hæc ſit radix impetrationis, in unoquoque hæc reperitur, poteſt ille rogari.

181. *D.* Aliam differentiam inter Beatos, & Purgantes reperio. Beati minime orare poſsunt pro ſe, quia minime indigent. Purgantes vero, ideo nequeunt orare, quia minime impetrant, igitur licet Beati poſſint orare pro aliis; Non ſequitur, quòd etiam Purgantes; quia illi pro aliis

aliis impetrant, & non iſti.

182. *M.* Totum hoc gratis dictum eſt. Quod Beati non poſſint orare pro ſe, quia minime indigent, nõ eſt abſolute verum, quia poſſe orare pro propria gloria accidentali docet *Suarez de Relig. tom.* 2. *l.* 1. *c.* 11. Quod Animæ nequeant orare pro ſe, quia minime impetrant, negavimus *tot. cap.* 5. 6. 7., ubi probavimus, eas pro ſe poſſe orare, ac impetrare. Beati ergo pro ſe orare poſſunt pro accidentalibus, & pro aliis pro quacumque juſta neceſſitate. Purgantes orant pro ſe ad removendam pænam, & pro aliis pro quacumque pariter juſta neceſſitate. Quare illi? Quia amici Dei, ergo & iſtæ, quia gratioſæ Deo; Si illos ergo rogamus, quare non iſtas?

183. *D.* Quare? Erit forſan propter hanc aliam differentiam; Quia Animæ Beatæ, cum omni defæcatæ ſint macula, non veren-

tur ad Deum ſupplices accedere; Purgantes vero, cum ſatis puræ adhuc non ſint, tantam majeſtatem erubeſcunt accedentes rogare.

184. *M.* Quarta hęc differentia non impedit rogare Deum. Recole quæ dixi *num.* 62. & *ſeq.* Verecundia enim virtuoſa debet eſſe de culpa, non de pæna juſte inflicta, & hilariter tolerata; ideoque Animæ cruciatæ non debent erubeſcere ad Deum rogandum humiliter accedere, quæ nullas habent culpas. Nonne accedimus nos ad orādum Deum variis venialibus obruti culpis? Non erubeſcimus quidem accedere ad Patrem, & Iudicem noſtrum ad eum orandum pro nobis, & aliis, quia ipſe ſolus mortificat, & vivificat, quanto magis ergo Animæ illæ nullam habentes culpam; & certæ, quòd ſunt in eius gratia, qua incertitudine nos miſeri laborantes non

ve-

veremur eum adire rogandum.

185. *D.* Equidem, ſed quia nos non ſumus perfecte uniformes voluntati Divinæ, ſicuti Animæ illæ. Ex hac ergo differentia proveniet, quòd oramus nos, non illæ, quæ propter hanc perfectam uniformitatem incluſe in illo carcere nolũt exire ad orandum Deum.

186. *M.* Ergo contra voluntatem Dei facimus nos carceri corporis, & Mundi implicati, quando Deum adimus exorandum? Non utique. Sepe dixi nõ eſſe neceſſe ire ad Paradiſum, ſed ubique exiſtẽtem Deum poſſe nos exorare, cum ergo ſit etiam in Purgatorio in eodem carcere poteſt exorari Deus ab Animabus illis, licet propter uniformitatem cum Divina voluntate nolint exire de illo ad eum fruendum. Sed ad quid hæc differentia inter nos, & Animas; cum argumentum militet ex paritate

inter Beatas Animas, & Purgantes in amicitia Dei?

187. *D* Redeamus ergo ad Beatos. Hanc aliam reperio tandem differentiam; quia Animæ, quæ gaudent in Cęlis, poſſunt pro aliis, quorum auxiliis ipſæ non indigent; Purgantes vero non poſſunt, quia cum in pœnis ſint, potius indigent, ut alii pro eis orent.

188. *M.* Eſſe in aliqua indigentia non impedit, quod aliquis pro alio oret. Quia fundamentum orandi eſt habere amicitiam cum illo, qui eſt ſupplicandus. V[illegible]um eſt, quod Beati non indigent; Animæ vero valde indigent; Sed cum polleant amicitia Dei, poſſunt etiam ipſæ impetrare, & ideo etiam ipſæ invocari. Apud Regem poſſunt impetrare gratias multas Optimates Regni, ſed multæ quoque donantur à Rege alicui ſibi charo, qui de Magnatorum numero

adhuc

adhuc non ſit. Ergo licet Animæ in Palatio ſummi Regis adhuc receptæ non ſint, cum amicæ Regis ſint, poterunt ab ipſo beneficia obtinere pro aliis. Non erit quidem homo ille cultu magnatum honorandus, quòd plane concedimus etiam in Animabus non eſse cultu Cælitum venerandas; Sed quòd non poſſint invocari, ſalvo cultu Beatis debito, hoc eſt quòd (niſi contrarium decidat Eccleſia) conſtanter negamus.

189. *D.* Quia ad invocationẽ Animarum Purgatorii varia fuerunt à Deo patrata miracula, deduxiſti, quod poſsunt invocari. Sed ego reſponderem, quòd poſsunt invocari. Sed ego reſponderem, quòd miracula iſta quæ impetrant qui eas orant, non ex Animarum ope, ſed ex ſupplicantium fide, ac devotione emergunt; ut ait S. Thom. de Demoniaco liberato ad tactum dal-

maticæ mortui Paſchaſii. Et dicerem hoc non eſse mirum. Ratio eſt. Si enim ex falſo miraculo ſequi poteſt vera converſio ; & per reliquias ſuppoſititias ob fidē. Credentium fieri verum miraculum, ut multis exemplis probare mihi dictum eſt à Bollandianis in vita S. Ferdinandi Regis Caſtellæ §. Ejus, Comm, prævii. Ergo & orare ad eas Animas bona fide(quamvis forte per errorem) poteſt nobis impetrare, quæ obtinemus beneficia.

190. *M.* Invocatio concludit Orationem invocati, ſi ſit exaudita. *Audi Pignattell. to. 4. conſ. 58. n. 26. Quando miracula patrata fuerint ad invocationem alicujus Servi Dei, cujus vita ſancte, pieque ducta eſt, &c. & præcipue ſi patrata fuerint poſt eius mortem: quia mali homines non efficiunt miracula, ſed ſolum Sancti, & Amici Dei, ut docet D. Th. 2. 2. q. 178. art. 2. Zacch. in q. Medicolog. l. 4.*

l. 4. *tom.* 1. *de Mir. q.* 1. *n.* 14. *&* *firmavit Rota in Relat. S. Andreæ Corſini, S. Franc. Borgiæ; Servæ Dei Sororis Catharinæ de Riccis, & S. Cajetani, &c. quia Deus non præbet teſtimonium falſitatis, ut egregie Suarez d. Proleg.* 3. *c.* 4. *n.* 12. *& de Fide diſp.* 4. *ſect.* 3. *n.* 10. *Bellarm. de notis Eccl. c.* 14. Cum igitur ad invocationem Animarum Deus patraverit miracula, earum interceſſionem comprobavit; ſicut miracula patrando comprobat interceſſionem Beatorum ex eorum ſecum amicitia, ultra fidem petentium; ideſt ex fide quidem petentium ut ait S. Thom., ſed inſuper dicimus ex Oratione Beatorum, aut Purgantium. Nam Beatitudo nõ addit eidem Animæ, quæ forſan erat in Purgatorio, & poſtea eſt in Cælo, non addit, inquam, nec meritum, nec gratiam, ſed fruitionem; ergo ſi exiſtens in Cælo rogatur à nobis, & exaudimur,

ſi exaudimur etiam quando erat in Purgatorio, poterat à nobis illic exiſtens rogari. Nonne Sancti adhuc viatores patrant miracula? igitur Beatitudo non eſt vis, & radix patrandi miracula, ſed fides petentis, & meritum, & amicitia Dei, & Oratio Sancti; igitur ſi Deus ad interceſſionem Sanctorum viatorum; quin etiam aliquando prævisos damnandos; ut forſitan evenit in aliquo Iuda; fecit miracula, quia tunc erant in amicitia Dei, à fortiori miracula fecit, & faciet ad interceſſionem Animarum Purgantium bene de Deo finaliter merentibus, ac ſuis perpetuis amicis. Si ergo rogamus vivos Sanctos, ut pro nobis orent; quanto magis poſſumus rogare Purgantes, ut pro nobis intercedant? Cæterum non bene argumentaris dicendo. Ex falſo miraculo poteſt ſequi vera converſio, ergo & falſa reliquia verum mi-

miraculum. Hæc eſt doctrina. S. *Aug. in pſ.* 54. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc Mundo, & nihil boni de illis agere Deum*. Deus enim potius diſpoſuit de malis bona facere, quam nulla eſse mala permittere; ut videmus de Diabolo tentante Iob, de Tyrānis perſequētibus martyres, de Iudæis crucifigentibus Chriſtum; ideo Deo permittente ficta miracula, poteſt ſequi vera converſio. Ex falſa vero reliquia non poteſt ſequi verum miraculum, niſi hoc modo, ideſt vel falſitas ſe tenet ex parte reliquiæ, vel ex parte perſonę invocatæ, ſeu Sancti putati. Si ſe tenet ex parte Sancti, itaut reliquia ſit vera, Perſona vero invocata, ſeu Sanctus putatus, vel mortuus ille ſit improbus, nego abſolute, quòd ex tali reliquia poſſit ſequi verum miraculum, etiamſi accederet ex ignorantia bona fides, ut dicitur, non ſolum unius ſupplicantis, ſed

omnium hominum hujus Mundi. Nam Deus, cujus ſolius eſt facere miracula, utpote diſpenſativa Ordinis naturæ, cum ſit infinitæ fidelitatis, nec poſſit decipere, nullò modo poteſt concurrere ad atteſtandam falſam Sanctitatem viri damnati, etiamſi ex illo miraculo ſequtura eſſet totius Mũdi converſio, quia non fieret ex vera fide, ſed ex infidelitate, licet ex ignorãtia putata Fide bona, & Deus nec vult, nec debet, nec poteſt comprobare miraculo vero fidem falſam, licet putatam veram. Si vero reliquia ſit ſuppoſititia, ſeu falſa, Homo vero cujus veneratur reliquia ſit vere Sanctus, concedo, quod poſſit ſequi verum miraculum, quia ut notum eſt apud omnes Theologos, reliquiæ venerantur in ordine ad Sanctitatem perſonæ, cujus ſupponitur illa eſse reliquia; ideo licet reliquia ſit ſuppoſititia, Oratio ſupplicantis eſt directa ad illũ

San-

Sanctum, & eo tendit, ut Sanctus ille intercedat. Fides igitur Catholici non evacuatur ex falſa reliquia, & ideo ad approbandā Fidem in verum Sanctum, & ejuſdem Sancti interceſſionem Deus poteſt vera patrare miracula.

191. *D.* Dixiſti, quòd ideo poſſunt Animæ orari, quia ad eorum invocationem Deus patrans miracula approbare videtur eorum intercefsionem. Quid diceres ergo, ſi reſponderem, quod non ſunt Animæ, quæ intercedūt pro gratia petita; ſed Deus ipſe exaudit nos, & patrat miracula ex ſua bonitate, ac liberalitate, ut magis moveat Fideles ad Animas ſuffragandas?

192. *M.* Huic inſtantiæ jam ſupra reſponſum eſt *n. 76. & 120.* breviter autem hic pro reſponſione accipe interrogationem. Quando tu invocas Sanctū aliquē Cælitem, & Deus concedit tibi gratiam petitam; concedit ne

Deus

Deus ex ſua liberalitate tantum; vel etiam ad illius Sancti interceſſionem? Utique etiam ad hujus preces. Ergo ſi Deus exaudiendo noſtras preces approbat invocationem Sanctorum; ſi etiā exaudit, quando rogamus Animas Purgatorii, non improbat eas nos poſſe rogare.

193. *D.* Ita; ſed non eſt ſimile; quia quod Deus diſpenſet gratias ad preces Beatorum docet Eccleſia: quod non docet de Animabus Purgatorii.

194. *M.* Et ideo Oratio Beatorum, ideſt quod ipſi orent, & intercedant, eſt de Fide; & interceſſio Animarum eſt opinio. Circa Cælitum invocationem in Eccleſia eſt dogma; Circa invocationem Animarum in Eccleſia, eſt probabilitas; Ego autem non contendo Orationem Animarum aſtruere de fide; ſed intendo rationibus fulcire opinionem.

195. *D.* Si Animæ Purgatorii orant,

orant, & intercedunt, & poſſunt invocari; quare ergo cum eas rogamus, dicitur, quod orationes noſtræ offeruntur Deo ab Angelis: potius hoc fieri deberet ab Animabus ipſis, quas orámus, ut offerentes ipſæ preces noſtras Deo, impetrarent nobis poſtulatas gratias, igitur ad quid eas orare? Tanto magis, quod ſi aliquando etiam per apparitiones Animarum Deus contulit ſupplicantibus aliqua beneficia, licet S. *Aug. l. c. c.* 16., *& lib. de Spir. & Aja. c.* 9. Non definierit, tamẽ in eam videtur inclinare ſententiam; quod Animę apparentes non ſint ipſę Animę, ſed potius Angeli earum perſonas repreſentantes Ergo ſi Animę nõ offerunt Deo orationes noſtras, nec apparentes ſunt ipſæ, quæ nobis opitulantur; ſed Angeli, nihil intereſt ad eas preces fundere. Quod autem ſint Angeli offerentes orationes, & opitulan-

lantes nobis, deducitur *ex Tob.* 12. Ita enim loquitur S. Raphael Arcangelus Tobiæ. *Quando orabas cum lacrymis; ego* (Non Animæ, quarum corpora ſepeliebat) *obtuli orationem tuam Domino*, & infra, *& nunc me miſit Dominus* (non Animam ullam ex illis) *ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem;* quod eſt beneficia preſtari ab Angelis vice Animarum. Doctrina hæc de oblatione, orationum per Angelos, & de beneficiis ab eis Apparentibus preſtitis poteſt etiam confirmari multis exemplis. *Videantur Bolland. in Vita S. Gregorii PP. l. 2. c. 3. n. 23. & Salm. to. 5. tr. 21. c. 9. nu. 28. Theol. mor.* Si igitur Animarũ non eſt offerre Deo noſtras preces, & nobis opem ferre, etiamſi apparere viderentur, ad quem finem eas imploramus, ac ab eis auxilium expectamus?

196. *M.* Ne in obſcurum inceda-

damus, dico, quòd duo ſunt in hoc propoſito 1. *Præſentatio Orationum viatorum.* 2. *Executio gratiæ viatoribus impetratæ.* De primo jam dixi *nu* 175. quid ſit *Præſentatio Orationum* per Angelos Deo facta. Dixi enim, quòd Angeli videntes orationes noſtras ſe præſentant Deo, ut ſciant, quid Deus velit ab ipſis fieri circa illam Orationem. Unde nihil ad propoſitum oratio Tobiæ; Non enim dicimus eam directam fuiſſe ad Animas, quarum corpora ſepeliebat; ſed fuſam ad Deum, vel pro illis Animabus, vel pro ſe, vel pro Populo captivo; & ideo miniſterium fuit Angeli eam offerre Deo; ideſt ſe præſentare Deo, ut ſciret, quid agendum ex illa oratione. Quod autem offerre Deo orationes ſit munus Angelorum magis, quam Animarum tam Purgantium, quam etiam Beatorum, ratio eſt clara. Quia cum iſta oblatio Orationum ſit,
ſe

ſe præſentare Deo ad ſciendum quid ex illa Oratione ad exequendum, & operandum ſit; potius attinet ad Angelos, quorum miniſterio ordinarie utitur Deus ad exequendum ſuam voluntatem; quia præſentatio illa eſt ordinata non ad impetrationem, ſed ad executionem; quam executionem, licet Deus poſſit committere, & aliquando committat fieri per Animas, vel Beatos, tamen ordinarie fit per Angelos. Ex quo patet, quid dicendum ſit ad ſecundum; ideſt circa *Executionem gratiæ impetratæ*. Equidem hæc non poteſt exerceri per miniſterium Animarum in carcere Purgatorii commorantium. Nam gratiæ, ſeu miracula exequenda in Mundo neceſſario requirunt rerum naturalium alterationem, & mutationem, & per conſequens approximationem Cauſæ alterantis, & immutantis, quæ approximatio non poteſt fieri à car-

carceratis in Purgatorio, & ideo fit, vel per eas Animas extraordinarie permittendo eas exire, vel fit per Angelos ordinarie, quia ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi, & ſic apparuerunt Tobiæ ad ipſum curandum, & in Convivio Gregorii. Ratio autem hæc eſt, Quia tam Angelus, quam Anima ſunt virtutis finitæ, & limitatæ, & ideo licet poſſint agere mirabiliter, & ultra ſolitum naturæ humanæ, tamen requirunt in agendo debitam diſtantiam, & approximationem ad corpora, in quæ volunt agere; quæ diſtantia, & approximatio equidem talis eſt, qualis non poteſt haberi à Purgatorio in Mundum, ſed neque à Beatis à Cœlo in Mundum naturaliter, ideo quando aliqua gratia eſt exequenda, ordinarie fit per Angelos, extraordinarie fit per Animas debitis mediis approximatas per appariſtiones ſuarum pro-

propriarum Perſonarum, & per intereſſentiam, qua vel Angeli, vel Animæ ſunt vere præſentes iilis operationibus. Ex hoc ſequitur Animas non exequi quidquid requiritur ad executionem gratiæ ſaltem ordinarie; Non autem quod gratias illas non impetrent, & quod non orent pro nobis, noſque ad eas orare non poſſe. Filia Regis tenetur infirma in lecto. Supplicata orat Patrem Regem, dum illam inviſit, ut eroget mille aureos in pauperes Civitatis. Ad quem pertinet videre, an Rex gratiam conceſſerit? Cujus eſt munus ordinariè, ſi gratia eſt conceſſa, diſpenſare impetratos Aureos? Nonne Miniſtrorum Aulæ Regiæ? Quis audeat dicere, quod ideo, quia Filia Regis infirma propter ſuum impedimentum non poteſt ordinarie per ſe ipſam diſpenſare aureos, non debeat exorari, & nō poſſit apud Regem impetrare?

Sic

Sic licet Animæ Purgatorii ordinarie non diſpenſent per ſe ipſas gratias, ſed nobis impartiatur Deus per Miniſteriũ Angelorum, cuius eſt munus ſe præſentare Deo ad ſciendam impetrationem Animarum, & ad exequendum quid obtinuerint, quis, inquam, aſſerat; quod illæ Filiæ ſummi Regis, quia detentæ in lecto ſuorum tormentorum, non poſſint orare, ac impetrare à Deo pro nobis: Noſque non poſſe eas rogare?

197. *D.* Habes ne pro affirmativa hac opinione rationes alias?

M. Utique. Clariſſima eſt ſequens. Homines degentes in hac vita, & præcipue quos putamus amicos Dei ſupplicamus, ut pro nobis orent; ſed ſũmus magis certi Animas Purgatorii eſſe amicas Dei, quam quemlibet hominem hujus Mundi, ergo multo magis illæ Purgatorii ſunt implorandæ. Præterea ex Alens ll. cc. *qu.* 26.

Quan-

Quanto Creatura rationalis Deo aſſimilatur, tanto magis eſt oranda, sed ilia Creatura, quæ eſt extra ſtatum peccandi, ut ſunt Animæ Purgatorii, magis quam nos viatores, aſſimilatur Deo; ergo poteſt orari.

198. *D.* Reſponderem cum eodem Alenſe ibidem, quòd ſimilitudo Dei, ſeu amicitia Dei non eſt ratio potiſſima impetrandi gratias à Deo; ſed tantum congrua, potiſſima vero eſt ratio merendi, quæ non eſt in Animabus Purgatorii. Et quatenus foret amicitia Dei, dicit Doctor irrefragabilis, quòd illi, qui detinentur in Purgatorio, ratione qua detinentur in pœna, non ſunt judicandi Amici, ſed potius ratione offenſæ Dei, pœnis obligati, & ideo concludit, quòd non ſint orandi.

199. *M.* Alenſi oppono Bellarminum *l. c. Ratio, quæ ex charitate procedit hanc potiſſimum ſu-*

ſuperioritatem requirit, ſi ullam requirit. Nam ſi ratio potiſſima impetrandi non eſt charitas, ſeu amicitia Dei; Sed potiſſima eſt ratio merendi, ergo Beati, qui non poſſunt mereri, non poſſunt orari, quod eſt falſum, igitur potiſſima ratio eſt amicitia Dei. Item ſi ex eo quod Animæ non ſunt in ſtatu merendi, non habent potiſſimam rationem impetrandi, cur Alenſis ſupra dixerat Animas illas poſſe orare pro ſe ad fructum impetratorium? Nec valet, qu[illegible] ut Pænantes conſiderantur ibi degentes ut Rei; quia Purgantes non orant ut Rei reduplicative; ſed ut amici. Ut Rei patiuntur; ut amici orant, igitur nec ratio pænæ, nec ſtatus non merendi impedit, quin pluſquam nos aſſimilentur Deo per ſtatum non peccandi, ideoque non impedit, quod Purgantes plus nobis non ſint orandi.

200. *D.* Alia maxima difficul-

tas mihi videtur ex eo, quòd Eccleſia nunquã orat illas Animas; video quòd ſemper rogat illas, quæ in Cœlo exiſtentes Deo ſunt proximæ, ſed numquid vel ſemel rogat eas, quæ procul à conſpectu Dei in pœnis jacent?

201. *M.* Reſponderet tibi logicus, quòd Argumentatio ad hoc, ut concludat, debet colligare prædicatum, vel ſubjectum propoſitionis cum tertio, ſeu aſſumpto, ſive medio termino; alias habet locum regula dialecticorum, quòd ex puris negativis nihil ſequitur vi formæ; & hoc magis; ut in caſu noſtro; quando à collectivo arguitur ad diſiunctivum v.g. Senatus nõ habet hortum; ergo Senator nõ habet hortum? Exercitus non fugit inimicos, ergo miles non fugit inimicos? Talis eſt illa Argumentatio. Eccleſia non orat Animas; ergo aliquis fidelis non orat Animas? Sed reſpondeat Theologus,

hæc

hæc explicando. Duplex eſt Oratio,ut ſupradiximus *n.* 162. Alia eſt oratio publica quę fit ab aliquo, ut Miniſtro Eccleſiæ; Alia eſt Oratio privata, quæ fit ab aliquo, ut privata perſona eſt. Exemplum conſidera. Orator alicujus Civitatis apud Regem alia exponit Regi, ut Orator Civitatis nomine omnium illorum civiũ collective ſumptis; alia exponere poteſt, & ipſe, & quilibet alius particularis Civis Urbis illius. Illa eſſet oratio publica; hæc privata. Dico ergo ad difficultatem, quòd verum eſt, quòd Eccleſia non orat Animas Oratione publica; Nõ eſt autem verum, quod fidelis particularis non oret eas oratione privata, quam Orationem privatam permittere Eccleſiam nemo dubitat; ideo non licet arguere ex orationibus quas Eccleſia publice non facit,non eſſe faciendas,quas privatim facere permittit. Vide veritatem. Pro excomunicato

vitando non poſſumus orare; Sed oratione publica, non privata. In loco interdicto non licet Divina perſolvere;non tamen illicitū eſt aliquem fidelem ſuas orationes ſubmiſſa voce recitare; ergo ex eo quod Eccleſia publicas Orationes non dirigat ad Animas, non ſequitur nō poſſe dirigi à Fidelibus particularibus privatas.

202. *D.* Vereor adhuc contradicere, ſed Animus meus anxiatur, ex eo quòd in Sacra Scriptura nunquam reperiatur vivos oraviſſe ad illas Animas, ſed tantum pro eis; quod videtur poſſe dici de Sanctis, & de Patribus, inter quos, qui eas Animas rogaverit, vel rogandas eſſe docuerit, vix invenitur.

203. *M.* Reſpondeo breviter. In Sacra Scriptura (ſalvo Eccleſiæ judicio) hujus Orationis ad Animas eſſe figuram in Iob, pænis undequaque circumſepto, ad quem miſit Deus amicos ſuos,

ut

ut ipſe pro eis oraret. Addo, quòd licet hæc Oratio non eſſet in Sacra Scriptura, nihilominus in confeſſo eſt apud omnes, quòd Eccleſia ultra verbum ſcriptum recipit verbum traditum, quia non omnia fuit neceſſe ponere in Sacra Scriptura; unde ſi ibi non eſt hæc Oratio, pervenit forſitan ad nos per traditionem. Quòd ſi neque per traditionem, neque per Sacram Scripturam eam habeamus, utramque veneror, ſed hanc orationem ad Animas non contendimus eſſe de fide. Ea autem quæ non ſunt de fide non eſt neceſſe reperire in Scriptura, nec in Traditione; ſi enim etiam opiniones reperiendæ eſſent in Scriptura, & traditione dictatas à Spiritu Sancto, de Mundo eliminarentur opiniones: terque, quaterque vę probabilitati! Ad illud autem, quod dixiſti, Orationem hanc non fuiſſe in praxi Sanctorum, nec in Doctrina Patrum,

recole, quæ dixerit S. Ambroſius, ac S. Gregorius Nazianzenus in publicis Concionibus; & quæ diximus practicaviſſe B. Beltrandũ, S. Franciſcum Xaverium, ac S. Catharinam Bononienſem; & nos fuſe attulimus *num.* 164. *& ſeq.*, quæ brevitatis gratia omitto, & ad quæ te remitto. Sed liceat mihi ex tuo ipſo argumento hanc Orationem probare; ipſum contra te retorquendo. Sacra Scriptura, nec Eccleſia, nec Patres, nec Sancti, ante Thomam, & Antoninum; neque poſt eos; Nõ docent Animas Purgatorii non eſſe orandas; ergo private poſſunt orari; Fortius. Eccleſia prohibet orationem publicam ad Sanctos non Canonizatos, vel Beatificatos; ergo permittit privatam ad defunctos, qui opinione Sanctitatis obierunt, ideſt qui in loco ſalutis æternæ exiſtere putantur; ergo à fortiori ad Animas Purgatorii in comuni, nam

in

in loco æternæ ſalutis eas eſse, non opinandum, ſed credendum de fide eſt.

204. *D.* Placeat adhuc unum verbum audire. Sicut bene arguit qui dicit. Eccleſia orat Cælites, & numquam orat pro Cælitibus, ergo Cælites debemus orare, & non pro Celitibus, igitur pariter bene argueret, qui diceret Eccleſia orat pro defunctis, non orat defunctos; ergo defunctos orare non debemus, ſed pro defunctis.

205. *M.* Totum hoc argumentum probat, quod Animæ non ſint orandæ oratione publica; non probat autem, quòd non poſſint orari oratione privata. Nec paritas de Cælitibus valet. Quia nos oramus Beatos tam publice, quam private: Pro Beatis non oramus, nec publice, nec private (Non eſt mihi hic negotium, quid dicendum ſit de oratione pro gloria accidentali Beati; ut pro

Beati Canonizatione, inventione reliquiæ, & ſimilibus); Verum enim vero pro Animabus Purgatorii oramus publice, & private. Ad Animas vero non oramus quidem publice; ſed poſſumus orare private.

206. *D.* Praxis orandi ad Animas non eſt Eccleſiæ univerſalis, ſed particularium Fidelium, nec Oratio iſta adhuc recepta eſt inter Ritus Eccleſiaſticos Canonicè inſtitutos.

207. *M.* Quoties replicare debeo, quòd Oratio iſta eſt Fidelium particularium? Ita eſt. Sed quia permiſsa eſt private ab Eccleſia, ideo poteſt fieri, licet non ſit admiſsa inter Ritus publicos.

CAPUT XV.

Quæſtiunculæ.

208. *D.* QUæſtiunculas aliquas breviter expli-

plicandas, ſi tibi placeat, proponam. Prima eſt iſta. An ſententia affirmativa de Oratione ad Animas, & de Oratione Animarum in totum, vel in partem ſit apud Doctores Comunis? Nam negativam eſse comunem aſſerere audivi à *Navar. Azor. Filliuc. Suarez ll. cc.*

M. Si ipſi citati Auctores ſcripſerunt fere centum annis ante nos, in præſenti forſitan comunior eſt affirmativa propter praxim, & ſequelam Doctorum Recentium numero, & auctoritate ſpectabilium. Nec eſt novum quòd aliqua opinio quōdam fuerit comunior, & poſtea comunior evaſerit oppoſita; ut patet de hora meridiana pro comeſtione in die Iejunii jam obligāte ſub mortali, quæ nunc comuniorem habet opinionem contrariam; ſicut de recitatione Matutini ante Miſſam ſub mortali, de qua hodie comunis negat.

209. *D.* Quæſtiuncula ſecunda eſt. An opinio affirmativa in totum, vel in partem ſit antiqua? Audivi enim aliquem negantem ex *9 oſt.*, *Suarez*, *Capiſuch. Raynaud.* quaſi opinio negativa quinque ſuper decem ad minus ſæculis conſtantiſſimè in Eccleſia perſeveraverit.

M. Circa hanc antiquitatem mihi liceat paulo altius fodere fundamenta, & *ex Biblioth. Sixti Sen. l.* 4. hanc texere Authorum Chronologiam.

380. Anno circiter, quo floruit S. Ambroſius in Oratione funebri ad populum de fratre ſuo S. Satyro & eum orat, & pro eo orat, ut dixi *num.* 122.

390. Anno circiter, quo floruit S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri orat Sororem ſuam S. Gorgoniam, & Patrem ſuum Gregorium centenarium tunc defunctum; ut vidimus ſupra *num.* 164.

390.

390. Anno, quo circiter floruit S. Auguſtinus: de Animabus ſepultorum à Tobia ait, *Ipſe ſepultus pro vobis voce tacita proclamavit*. Sic docens Animas orare, & nos ſupradiximus *nu.* 122.

390. Anno, quo circiter floruit S. Hyeron. ſcripſit. *Quantam conſolationem defunctis impendimus, tantum viceverſa recipimus*; & nos citamus in pręf. hujus dialogi.

400. Anno, quo circiter floruit S. Io: Chriſoſt., qui de mortuis ſcripſit. Mutuam inter nos, & eos eſſe utilitatem, & nos citamus *nu.* 122.

600. Anno, quo circiter floruit S. Gregorius Papa ſcripſit miraculum Paſchaſii adhuc in Purgatorio exiſtentis auditum ut aſſerit à ſenioribus, cum aliis apparitionibus *l.* 4. *Dial.*

730. Anno, quo circiter floruit S. Io: Damaſcen. ſcripſit, Nos & defunctos mutuo juvari; *ut citam. n.* 123.

1060. Anno, quo circiter floruit S. Petrus Damianus, varia item de Animabus, ut S. Gregorius, ſcripſit.

1140. Anno, quo circiter floruit Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis; omnes Patrum Doctrinas digeſſit in quatuor libros ſententiarum, unde via ad methodum Scholaſticam.

1240. Anno, quo circiter floruit Alexander de Ales inſignis Cathedraticus Pariſienſis, ac S. Bonaventuræ Magiſter, ſcribens in quartum ſententiarum, introducta jam per ſcholas methodo diſputativa, tenuit Animas orare pro ſe, & nos *cit.* 38.

1270. Anno quo circiter floruit S. Thomas Aquinas contrariam docuit.

1373. Anno, quo circiter floruit S. Birgitta habuit viſionem de Purgatorio, ex qua audivit Animas orare pro ſe, & pro nobis; *& cit. n.* 123.

1419.

1419. Anno circiter, quo floruit Celeberrimus Pariſienſis Academiæ Cancellarius Io. *Gerſon*, *ſermone de Def.* ſcripſit *Nos autem* [loquuntur Animæ] *pro vobis preces offerimus*, *& interceſſionem*, *& nos citam. nu.* 124.

1440. Anno circiter, quo floruit S. Bernardinus Senenſis, prędicavit. *Non ceſſes orare pro Defunctis*, *quia*, *& ipſi orabunt pro te. cit. nu.* 122.

1460. Anno circiter, quo floruit S. Catharina Bononienſis, ad Defunctos quidem Orationem, defunctorum interceſſionem aſſeruit. nos damus. *num.* 133., *& cap.* 13. *per totum*.

1510. Anno circiter, quo floruit Gullielmus Pepinus Ordin. Prædicatorum, cui ſuis temporibus parem concionatorẽ Gallica lingua non habuit teſte Sixto Sen. *Bibl. ſan. l.* 4. hic pro Oratione Animarum ſcripſit ſuper aliquos pſalmos, quem ſequti ſunt Titel-

mannus, Gerebrardus, Novillæus.

1540. Anno circiter, quo floruit inſignis Complutenſis Cathedraticus Medina, & Jo. a Lugo Epiſcopus Calaguritan., & Gabriel, pro hac ſententia de oratione Animarum, & ad Animas ſcripſerunt, & docuerunt. Igitur à tempore primorum Patrum videtur, quòd ſententia negativa ſilentium tenuerit, ſicut affirmativa, ſed potius de affirmativa ſcripſiſſe Patres, & practicaviſſe. Incepta methodo ſcolaſtica Primus Alenſis partim in affirmativa, partim in negativa fuit. Sic ab Alenſibus in Gallia in parte defenſa affirmativa; S. Thomas tenuit negativam in totum; & ſic Doctores, & Sancti hinc inde puto, quòd tenuerint, vel in partem, vel in totum circa orationem pro nobis, & ad eas ut S. Catharina Bononienſis, quouſque in Hiſpania Accademia Complu-

plutenſis audivit Medinam pro eademopinione affirmativa in totum, quæ ſemper uſque ad hæc tempora invaluit.

210. *D.* Quæſtiuncula tertia eſt; Cur tot, nec dicta, nec facta videantur erga Animas ab antiquis, ſicut à modernis?

M. Quanto magis ab adventu Chriſti ad nos appropinquatur, ſemper magis multa de Animabus illis ferveſcere obſervavit etiam S. Gregorius Magnus. Quare eadem, quæ ipſe in dialogis, nos hic reſpondebimus. Hæc ipſe *lib.* 4. *dial. cap.* 43. *Cur in extremis temporibus multa de Animabus clareſcunt, quæ ante latuerunt? quia quanto præſens ſæculum propinquat ad finem, tanto futurum ſæculum ipſo jam propinquante tangitur, & ſignis manifeſtioribus aperitur*. Ex qua auctoritate patet reſponſio etiam illi, qui contendens Animas apparentes in auxilium Benefactorum non de

Pur-

Purgatorio aſcendere; interrogaret, *Cur nullæ ſint viſæ ante Chriſti Adventum.*

211. *D.* Quæſtiuncula quinta eſt. An opinio negativa fulcita ſit firmiſſimis rationibus? videtur enim quòd ſic. Quia tales ſunt, quæ potuerint movere Angelicũ intellectum S. Thomæ Aquinatis, ac tantorum Doctorum.

M. Meum nõ eſt judicium ferre in cauſa mea. Referam tantum quidquid invenio apud Auctores. Navarrus licet ſit in opinione negativa, attamen *tom.* 1. *de or. c.* 20. *nu.* 11. loquens de rationibus D. Thomæ ait. *Quas tamen fateor parum concludere contra eum, qui novam hanc tenere voluerit opinionem, nam contra eum nullus eſt textus, nec ulla ratio, quæ neceſſario concludat. Pignatell. tom.* 9. *conſ.* 104. *nu.* 12. *Ego certe rationem nullam video, quæ me jubeat earum*(Animarum) *charitati, quæ nunc eſt omnium maxima*

ma poteſtatem hanc denegare, aut voluntatem tollere pro iis ſupplicandi, à quibus rogantur. Bellarm. de Purg. l. 2. c. 15. Et quamquam S. Thomas contrarium doceat in 1. 2. q. 83. art. 3. ad 3. tamen ratio ejus non convincit, unde forſitan poſſem concludere cum Maſtrio *Th. mor. diſp.* 24. *nu.* 42. *Qui tamen omnes fatentur* (DD. affirmativi) *quod licet hæc omnia* (adducta pro affirmativa) *ſint probabilia, & ſatis pie credi poſſint: quia tamen non ſunt omnia certa; primā opinionem* (negativam) *ſua probabilitate non carere.*

212. *D.* Quæſtiuncula quinta eſt. Utrum hæc diſputatio ſit utilis? Nam non tantum utilem, ſed perutilem ipſam audivi nominare.

M. Poſita in lance utraque opinione, tantam utilitatem afferre dicerem, quantam afferre poteſt Speculativa ad praxim. Nam ſententia negativa docet

opti-

optimum eſſe benefacere Animabus, ſed nec orando eas, nec putando eas orare. Affirmativa tenet; optimum eſſe ſuffragari Animabus, vel addendo orationes ad eas, vel etiam illas oraturas putando. Igitur ad praxim, quiſnam orat Animas, niſi addito ſuffragio, vel exhibens de præſenti, vel proponens de futuro? Neſcio, an ſicut in praxi non datur oratio ad Sanctos ſine aliquo obſequio, ſic detur oratio ad Animas abſtrahendo à ſuffragio. Et quatenus daretur aliquis ſic nude petens ab Animabus, & abſtractivè; nonne Deus exaudiret ipſum ſaltem ex fide Petentis, ut accidiſſe in miraculo Paſchaſii teſtantur cum S. Thoma omnes Doctores negativi? Ad quid igitur utilis hæc diſputatio in ordine ad praxim?

213. *D.* Quæſtiuncula ſexta eſt, An Oratio ad Animas ſit quid diabolicum. Ne offendaris

quæ-

quæſo. Scimus enim Dæmonis aſtutias eſſe ſubtiliſſimas, ac in genus humanum odium implacabile. Ponamus ergo, quòd viator inſumat unam horam orando ad Animas, Si vera eſt opinio negativa, duobus nocet Diabolus. Nocet oranti, qui horam illam, quam in variis actibus meritoriis poterat inſumere, penitus perdit; & nocet Animabus, quæ plura ſuffragia obtinuiſſent, ſi potius pro eis, quam ad eas per ſpatium illius horæ exoraviſſet. Saltem opinio affirmativa non eſt certa; certiſſima vero eſt illa, quòd orandum ſit pro Animabus: Ergo ſi aliquis conſumat horam in Oratione ad Animas, & non pro Animabus, privat ſe merito certo quòd haberet orando pro eis, & committit ſe merito incerto proveniente ex Oratione ad eas. Quis non timebit hic diaboli inſidias? Tanto magis, quòd aliquando experimur, quòd aliqui

mo-

moriendo, potius ad Animas, quam ad Chriſtum convertuntur; & magis ultima vitæ momenta conſumunt in ſe commendando ad Animas, quam in eliciendo actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis.

214. *M.* Nullum, quem viderim Auctorem reperi, qui orationem ad Animas dubitet eſſe calliditate Diaboli inductam. Ita nè tot illuſtres *Doctores*, & Sancta Virgo Catharina Bononienſis, & ſi qui ſunt alii; à Diabolo in hoc deceptos dubitabitur? Apage iſta hinc. Doctrina irrefragabilis hæc eſt; quòd non obligamur ad ſemper agere quidquid eſt perfectius, ideo non eſt tribuendum diabolo, ſi aliquando aliquod minus bonum operemur; Nonnè in Eccleſia Catholica tot varia Religionum inſtituta, tot varietates devotionum, tot diverſa exercitia pietatis? Quis audeat ambigere, quòd, ea quæ

non

non ſunt primæ, & excellentiſſimæ perfectionis, eſſe à diabolo inſinuata? Quidquid ergo ſit de Oratione ad Animas in vita, & in morte: dummodo in morte, & in vita non negligantur neceſſaria ad ſalutem, quod ſit talis Oratio utilior, vel non utilior alia, certe non ſequitur eſſe a diabolo. Si hoc tu timeas; *Ergo certe* [reſpondebit *Pignattell. tom. 9. conſ.* 104. *n.* 12.] *Nullam rationem video, quæ me inducat earum charitati quæ nunc eſt omnium maxima poteſtatem hanc denegare, aut voluntatem pro iis ſupplicandi à quibus rogantur* [*Animæ*] *vel cogat me Animum minus propenſum, ac benignum ad illarum preces, & vota exaudienda Deo attribuere.*

215. *D.* Quæſtiuncula ſeptima eſt. An utraque ſententia digna ſit aliqua cenſura?

M. Dico ab utriuſque ſententiæ ſectatoribus obſervandum decretum Innocentii, quo jubetur

tur cavendum *ab omni cenſura, & nota contra eas propoſitiones, quæ inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.*

216. *D.* Quæſtiuncula octava eſt. Utrum pro utraque ſententia conveniens ſit loqui, & ſcribere?

M. In favorem negativæ militat, quod aſſeritur quòd ſit, vel fuerit communis; item omnium probabiliſſima, antiquiſſima, celebris inter modernos, Typis impreſſa ab Eminentiſſimo Capiſuccho, ab univerſitate Salmaticenſi, & declamata in publica Concione ab aliquo celebri Prædicatore. In favorem vero affirmativæ militat, quòd non ſit minus, ſed forſitan hodie communior; item longe probabilior, ut eam vocat *Spoer. Theol. mor. p. 1. tr. 2. c. 7. ſect. 3. §. 1. nu.* 13. Et forſitan antiquior, ut tetigimus *num.* 209.

209. reſpective in parte, vel in totum; quin & pro ea Typis mandavit alius Eminentiſs. Brancatus, & multi declamant Prædicatores, & ex eis celeberrimus Gil bertus in declamationibus Ser. Chriſtinæ Magnæ Duciſſæ Etruriæ inſtantia compoſitis, & impreſſis materna lingua, quibus titulus Torcular Purgatorii *ſerm.* 40. *nu.* 7., & 8. item ex Aſceticis. P. Roſignol. Mir. Dei in Animabus Purgatorii *p.* 2. *in Introd.*. Ergo ad quæſitum reſpondeo; quòd judicium attinet ad S. R. E. ego tantum dico, quòd putarem non eſſe abs re ſcripto, ac verbo proponere doctis Scholaſticis ſpeculativis utramque diſcutiendam.

217. Quæſtiuncula Nona eſt. An utramque ſententiam conveniat docere in Cathecheſibus, prædicare populo, eo minus perſuadendo, eo magis permittendo praxim?

M. Quan-

M. Quantum ad permittere, parva eſt difficultas, quia qui non orat Animas, nihil mali facit: qui orat, non ſine fructu ſolet orare:

Contra affirmativam, quaſi ſit incerta poſſet adduci *Trid. ſeſſ.* 25. *Epiſcopi ne in Concionibus popularibus incerta, & quæ ſpecie falſi laborant, tractari permittant* & tales prædicatores de peccato arguunt (ut dicitur) à *Cajet. in ſumm v. Prædicatores, & Poſſeu. de off. Paroch. c.* 4. *nu.* 15. Sed quomodo incerta opinio, quæ aſſerit Animas orari poſſe, & orare? Non eſt noſtrum dare ei certitudinem, vel Fidei, vel Eccleſiæ, vel ſcientiæ; ſed opinionis probabilis, quæ ſtat cum formidine de oppoſito. Quid ergo contra Concilium; vel quale peccatum docere affirmativam ſicuti eſt, non ei tribuendo majorem certitudinem, quam illam, quam habet à probabilitate? Adde, quòd ſi affirmativam non liceret

do-

docere, quia eſt incerta, & incerta ſit, quia eſt opinio; idem prorſus dicendum eſſe videretur de ſententia negativa; quia limites opinionis non excedit. Adde inſuper quòd erudiendo populos docemus de Fide quæ ſunt de Fide, & approbata ab Eccleſia, tamquam ab ipſa approbata; cætera explicantur de plano, nec cuicumque propoſitioni additur, hæc eſt certa, hæc probabilis, hæc probabilior, & ſimilia. Audi nunc quid contra negativam poſſet adduci ex *eod. Trid. ib. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio à popularibus concionibus ſecludantur*. Qualenam augmentum pietatis docendo Animas non orare pro nobis, nec à nobis orandas eſſe? Equidem devotio populorum his temporibus ægriſ-

griſſime negativam audit. Quod ſit de difficilioribus patet, quia non eſt ita facile cuilibet Sacerdoti explicare, neque cuilibet Auditori percipere ſubtiles illas formalitates; ideſt, non eſſe Animas illas in ſtatu orandi per ſe, vel per accidens; vel negativam conſiſtere in non eſſe orandas ſimpliciter, ſecus cum ſuffragio; vel Deum concedere gratias non ex vi Orationis, ſec vi ſuæ liberalitatis; vel Animas nõ poſſe cognoſcere noſtra ex ratione intrinſeca ſtatus, aut ratione extriſeca revelationis; vel poſſe quidem orare remote, ideſt quantum ad potentiam phyſicam, aut moralem, ſed non poſſe quantum ad impedimentum alterius, vel utriuſque: aut hoc admiſſo; Non poſſe tamen proxime, ideſt actum elicere orandi, licet habeant potentiam, & ſimilia, quæ potius decent Theologum non minoris

ſphæ-

ſphæræ, minus autem quemcumque Parochum, & Concionatorem; nullo vero modo populum. Ex quo fieret, quod Auditores, qui de praxi concipiunt, quæ audiunt [ad differentiam ſpeculantium] ad praxim audita dirigunt; ſicque audiendo Animas non poſse, nec velle orare pro benefactoribus, de beneficiis deſperant, & in ſuffragiis refrigeſcunt.

218. *D.* Reſponderem, quòd ſuffragia ad Animas ex prædicatione ſententiæ negativæ potius excreſcerent. Quia cum prædicaretur nos totaliter inſiſtere ad orandum pro eis, & nihil temporis perdere ad orandum eas, tunc fideles potius incumberent ſuffragiis, & devotionem forte vanam orandi ad eas commutarent in certe proficuam orandi pro eis.

219. *M.* Novus prorſus modus eſſet hic perſuadendi. Tollere

ſpem retributionis ab eo, cui perſuades eſſe benefaciendum. Nullus eloquentiæ Pater modum hunc excogitavit, ſed oppoſitum. Dico ergo; quòd opinio affirmativa firmiter approbat Orationem pro Animabus, ſicut negativa; neque an ſit conveniens ſuadere Populis orandum pro Purgantibus, quæſitum eſt. Sed quòd ex negatiua inſinuata Populis ſequatur non equidem per ſe, ſed per accidens torpor in ſuffragiis, dictum eſt. Exemplum. Si quis ſonans Campana expertus fuerit datum fuiſſe auxilium domui ſuæ flagranti; unde benefacit Amicis, quos putat accurriſſe, & adfuturos in occurrentibus periculis. Si dicas ei Amicos non adfuiſſe auxilio, quin eſſe infirmos, nec Campanam audire, nec audire potuiſſe; Sed quòd auxiliabuntur, quando ſani ſurgent de lecto; Certiſſime homo ille non amplius pulſabit

Cam-

Campanam; & Amici perdent ſuffragia. Populus Chriſtianus in ſuis neceſſitatibus accurrens ad Animas pulſat Campanam Orationis ad eas; & recepto, vel pro recipiendo auxilio ſuffragatur Animabus illis. Dic ei, eas non eſſe orandas, vel quia non audiunt, vel quia non poſſunt, nec volunt orare; licet adjuvabunt, quando erunt in Cœlis; Ceſſabit quidem Oratio ad eas, ſed ſimul ſuffragium pro eis. Ideo quid docendum in Cathecheſibus, & prædicandum in Concionibus determinet Eccleſia pro ſententia negativa. Pro affirmativa autem docerem, prædicarem, persuaderem, *Eſſe ſuffragandas Animas ad habenda earum auxilia in neceſſitatibus.*

FINIS.

INDEX.

Numerus eſt marginalis.

CAp. I. De Fructibus Orationis. 1.
Cap. II. De requiſitis ad Orationem. 9.
Cap. III. Utrum Animabus Purgatorii conveniat Orare? 16.
Cap. IV. Satisfit obiectionibus. 22.
Cap. V. Utrum Animæ Purgatorii orent Deum pro ſe? 36.
Cap. VI. Obiectiones ex parte Animarum ſolvuntur. 49.
Cap. VII. Obiectiones ex parte Iudicis ſolutæ. 70.
Cap. VIII. Queſtiunculæ. 1. Utrum Animæ Purgatorii orent Sanctos, & Angelos? 95.
An Orent ſe invicèm? 97.
An Orent nos? 101.
Cap. IX. Utrum Animæ Purgatorii orent pro nobis? 110.
Cap. X. Proponuntur rationes. 128.
Cap. XI. Obiectiones ſolutæ. 135.

Cap. XII. *An Viatori conveniat Orare ad Animas Purgatorii?* 162.
Cap. XIII. *Solemnis Auctoritas S.Catharinæ Bononienſis.* 166.
Cap. XIV. *Proponuntur rationes, & ſatisfit obiectionibus.* 176.
Cap. XV. *Quæſtiunculæ. Prima. An Sententia affirmativa de Oratione ad Animas, & de oratione Animarum in totum, vel in partem ſit apud DD. Comunis?* 208.
Q. ſecunda. An opinio affirmativa in totum, vel in partem ſit antiqua? 209.
Q. tertia. Cùr tot nec dicta, nec facta videantur erga Animas ab Antiquis, ſicut à modernis? 210.
Q. quarta. An opinio negativa fulcita ſit firmiſſimis rationibus? 211.
Q. quinta. Utrum hæc diſputatio ſit utilis? 212.
Q. ſexta. An Oratio ad Animas

ſit quid Diabolicum? 213.

Q. ſeptima. An Utraque Sententia digna ſit aliqua Cenſura? 215.

Q. octava. Utrum pro utraque Sententia conveniens ſit loqui, ac ſcribere? 216.

Q. nona. An utramque ſententiam conveniat docere in Cathechesibus, prędicare Populo, eo minus ſuadendo; eo magis permittendo praxim? 217.

Il Molto Rev. P. Quintino Carmelitano Scalzo ſi compiaccia di leggere il preſente Libro, e di vedere ſe in eſſo ſi contenga coſa alcuna repugnante alla S. Fede, e a buoni coſtumi, e di riferire.

Dat. il dì 12. Agoſt. 1721.

Tommaſo Buonaventura Arciveſ. di Firenze.

De mandato Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domini, Domini Thomæ Bonaventurę ex Comitibus de Gherardeſca Archiepiſcopi Florentini attentè legi præſens manuſcriptum, cui titulus eſt, *Vices Amoris*, Auctore non expreſſo ſub litteris P. C. F. R. F. quì intendit probabiliter ſuſtinere quod Animæ Purgatorii poſſint oratione privata à Viatoribus invocari; quod prò nobis Deum orent, prò ſeipſis, & prò ſe invicem. Nihil in hoc

hoc deprehendo contra Fidem, nequè contrà bonos mores, cùm à centum annis, plus, minuſuè, Eccleſià permittente, idem doceant multi Doctores non contemnendi, ſalva, ut aiunt, veneratione debita opinioni contrariæ Doctoris Angelici: quapropter, ſalvo meliori judicio, cenſeo hoc manuſcriptũ poſſe typis edi. Datum Florentiæ in Conventu S. Pauli Carmelitar. Diſcalceatorum die 24. Auguſti 1721.

Frat. Quintinus à S. Carolo Carmelit. Diſcalceat. manu prop.

Attenta ſupradicta relatione Imprimat.

Thomas Bonaventura Archiepiſc. Florentin.

Admod. Rev. P. Lector Emeritus Antonius Franciſc. de Marino Ordin. Min. Obſerv. Refor-

formatorum hujus S. Off. Conſultor videat præſens opus, cui titulus *Vices amoris* pro eodē S. Off. & referat, &c.

Dat. In S. Inquiſ. Flor. 6. kalen. Septembr. 1721.

F. Vinc. de Comitibus Inquiſit. General. S. Off. Flor. &c.

Mandatis obediens Reverendiſs. Patris Magiſtri Vincentii de Comitibus Inquiſit. Generalis S. Off. Flor. vidi, ac perlegi præſens opus ſub nomine *Vices Amoris*, *&c.* In quo nihil contra Fidem, morumque diſciplinam invenio; imo in re tam gravi de Animabus in Purgatorio exiſtentibus, ſolide difficultates explanat, fœliciter promovet, & ſanam Doctrinam, quam eligit, urgentibus Teſtimoniis comprobat: proinde cenſeo ut luce publica fruatur. Datum in Conv.

Re-

Reformator. S. Franc. Feſul. hac die 9. Septembr. 1721.

Fr. Antonius Franc. à Marino S. Theol. Lector Emeritus, ac S. Off. Conſult., &c.

Attenta ſuprad. relat. Imprimat.

Fr. Vinc. de Comitibus Inquiſit. General. S. *Off. Flor.*, *&c.*

Philip. Bonarot.

Pag.	*Lin.*	Errata.	Corrige.
6	26	ingrati	in grati
9	5.	multa, magna	multa & magna
21	26	Adhuc	Adduc
24.	23.	inde nos	ideoque nos
25.	26.	ſed	&
29.	1	nou	non
29.	1.	equieſcere	acquieſcere
38.	18	excitent	excitet
54	21.	impetrativi; poſſunt	impetrativi; hoc eſt poſſunt
55	25.	ſed quod	ſeu quod
56.	12	quia	quin
60.	25.	quia	quin
67	5.	eorum	earum
69.	8.	Voluntas Dei ſit decretum de aliqua pæna, qua ordinarie eſt conditionata, hac cōditione niſi acceſſerit ratio.	Voluntas Dei qua ſit Decretum de aliqua pœna, ordinarie eſt conditionata hac conditione, niſi acceſſerit oratio.
72.	18.	Virgine.	Virgine liberari.
91.	18.	tytannus	Tyrannus
96.	6.	aſpiciendi	aſpiciendo
105.	14	preces amicus	preces. Amicus
112.	7	mottui	mortui
115.	20.	eit Auctor	eſt auctor
116.	16.	quamvi ſit	quamvis ſis
120.	10	Altejanum	Aſteſanum
133.	8	Oratio	ratio
137.	13	intendendum	intercedendum

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
139	4.	quia	quin
140	25.	iai	ibi
141.	1	Neceſſitatibus comunibus -	Neceſſitatibus, & Pcrſonis non interſum, non poſſum orare pro neceſſitatibus comunibus, quas, &c.
145.	1.	dicentes	dicentis
150.	26.	ſupradictam ?	ſupradicta
153:	11.	dedigeris	dedigneris
169.	12.	ipſius ſui Satyri.	fratris ſui Satyri.
173	9	triumphantes	triumphantem
178.	4.	teſtifica	Teſtificava
179.	13.	eos	eas
182.	19.	M.	D.
199.	19.	Sed ego reſponderem quod poſsūt invocari.	*Superflue totum impreſſum.*
201.	26.	&	ex
216.		124	1240.

Alios errores, ut pæna pro pœna, cæteroſque tu corrige benigne Lector, ſciaſque tibi compatiendam eſſe Auctoris abſentiam.